DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE

MODO USURARUM LEGITIMO.

QUAM
ANNUENTE DEO OPT. MAXIMO,
EX AUCTORITATE
MAGNIFICI RECTORIS
DN. LEONARDI OFFERHAUS,
Historiarum & Eloquentiæ, in Inclyta Illustr. ac Præpot.
Provinciæ Groning-Omlandicæ D. D. Ordinum
Academia, Professoris Ordinarii, Celeberrimi.
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, &
Nobilissimæ FACULTATIS JURIDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus, ac Privilegiis rite ac legitime consequendis,
Eruditorum Examini submittit,

CORNELIUS DE HASE,
BREMA-SAXO.

Ad diem 5. Februarii MDCCXXXIX. *H. L. Q. S.*

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

MODO USURARUM

LECITIMO

AUCTORE

Dn. LEONARDO OLFERNHAUS

MACONIENSI HUNGARO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUBMITTET

VENERANDI ET AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

DECANO

Dn. FRANCISCO DE HAASE

Philosophiae Doctore, Professore Publico Ordinario,

Facultatis Philosophicae Ordinario,

Academiae Regiae Scientiarum Hungaricae Membro

ET

Societatis Physico-Medicae Regiae Budensis Membro

ORDINE

Philosophorum & Medicinae in Facultate Illustr. ac Nobil.

DOMINO

D. D. D. Auctor.

TYPIS JOSEPHI GRUNDTNER, S. R. M. ET REGIAE CIVITATIS TYPOGRAPHI.

ANNO MDCCXCIX.

PERILLUSTRI. ET. SPLENDIDISSIMO.

INCLYTÆ.

LIBERÆ. IMPERIALIS. REIPUBLICÆ.
BREMENSIS. SENATUI.

VIRIS.

PERQUAM. MAGNIFICIS. PRÆNOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS. EXCELLENTISSIMIS. CON-
SULTISSIMIS. GRAVISSIMIS.

DNN. CONSULIBUS.

DNN. SENATORIBUS.

PATRIBUS. PATRIÆ. CONSCRIPTIS. PIIS.
FELICIBUS.

LIBERTATIS. AC. SALUTIS. PUBLICÆ.

CONSERVATORIBUS. SAPIENTISSIMIS.

DOMINIS. PATRONIS. MÆCENATIBUS.

MAXIMOPERE. VENERANDIS.

SALUTEM. INCOLUMITATEM. OMNEQUE.
QUOD. BONUM. FAUSTUM. FELIX.
FORTUNATUM. FUERIT.

PRECATUR.

ET.

DISSERTATIONEM. HANC. INAUGURALEM.

EA.

QUA. PAR. ÆQUUMQUE. EST.

VENERATIONE.

SUBMISSE.

D. D. D.

CORNELIUS DE HASE.

PROOEMIUM.

Si illa seculi, quo vivimus, est felicitas, ut nullum fere in voluminibus Legum forensium offendatur argumentum, cui illustrando defuerit præstantissimorum JCtorum industria; hincque nonnisi verecundante manu quis scriptionem periclitari potest, quem non fugit, quam nauseæ molestiam dapes minus opiparæ intuentibus excitare soleant: necessitas tamen, quam debita Legibus Academicis reverentia mihi attulit, nequaquam permisit, ut intra caveam me propterea continerem, aut, sine specimine aliquo studiorum edito, summos in utroque jure honores ac titulos consequerer. Atque hæc sola est, quæ, uti me in medium ad tentandam fortunam projecit, ita hæsitanti eam porro ingeneravit fiduciam, ut, tum meditationes meas prælo committere, tum illam maxime tractationem deligere sustinuerim, quæ de modo usurarum legitimo concepta rem breviter adumbraret, cujus cognitionem, variis & discrepantibus interpretum sententiis, plurimum fuisse

impeditam, evolutio eorundem nimium quantum manifeſtat. Sane enim, ſive vocabulorum, quibus in partibus diſciplinæ Juridicæ explicandis uti oportet, difficultas expendatur, ſive jurium diverſitas, quæ quoties occurrit, toties in contrarias partes animum cogitantis non diſtrahere non poteſt, in hoc profecto themate undique adeo eſt via obſtructa, ut face & viatico indigere videatur, qui ex tot tricis ſe expedire, ac veritatem complecti contenderit. Quare etiam eam a benevolis Lectoribus mihi polliceor gratiam, ut, ſi quædam minus accurate vel plene, quam dignitati materiæ conveniat, expoſita fuerint, id parum exercitato ne imputare velint: præcipue, quoniam tempus, cujus mihi habenda fuit ratio, ut modice facerem, flagitavit, idque tantum indulſit, ut, quum de uſurarum indole, varietate, licentia & modo prius egerim, deinde, quid de legitima earum quantitate, lege ac moribus conſtitutum fuerit, breviter recenſerem. Annuat DEUS cœptis!

DIS-

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE MODO USURARUM LEGITIMO.

§. I.

USURARUM vocabulum à voce *uſus*, & cum ea porro à verbo *utor* profluxiſſe, nemo, credo, reperietur, qui in controverſiam vocaverit. Neque enim tantum ex Priſciano. *lib.* 11. apud Putſch. *pag.* 923. intelligitur, *uſurarum* voce & participium, & nomen deſignari, verum præterea quoque Varro, lib. IV. de L. Lat. affirmat, *ex uſu uſuram dictam, ut ſors, quod ſuum ſit ſorte.* Unde & Iſidor. *Origg. lib.* V. *cap.* 26. inquit: *Uſura ab uſu nuncupata.*

§. II.

Uti autem a vocabulo *uſus* dictæ fuerunt uſuræ, ita initio pariter, vel rerum quarumcunque, vel, quemadmodum ſubtiliter conjicit Parlador. *rerum quotid. Lib.* II. *cap.* 2. *num.* 2. earum cummaxime, quibus proprie quis uti non poteſt, *uſum* ſignificaſſe, monumenta vetuſtatis comprobant. Etenim hoc ſenſu Lucilius cecinit:

——— *Et in uſura omnia poni*
Non magna, proprium vero nil neminem habere.

Eodemque, tum Plautus, *Amphitr. prol. v.* 108. corporis ad alium pertinentis *uſuram* captam commemoravit;

vid. Turneb. *Adverſ. lib.* III. *cap.* 12. tum Accius: apud Nonium, *cap.* 3. dixit: *Hanc poſtremam ſolis uſuram cape.* Neque alia mente Cicero, *lib.* 1. *Tuſcul. quaſt. cap.* 39. ſcripſit: *Natura dedit* uſuram *vitæ, tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die. Quid eſt, quod querare, ſi repetit, cum vult, ea enim conditione acceperas.* Unde & debitor, qui ſorte aliena fruitur, uſuram iſthac ratione capere perſpicitur, quam creditor ipſi conceſſit. vid. Lauterb. *Coll. theor. pract. tit. de uſur.* §. 2. Enimvero, quamvis hæc ſignificatio primum eminuerit, ampliata tamen deinceps notione factum fuit, ut uſuræ pro præſtatione, illi, qui rem tenet, incumbente, frequentius acciperentur. Unde Iſid. *lib.* V. *cap.* 25. inquit: *Uſura eſt incrementem fœnoris. Et* Varro: *lib.* IV. ait: *Compendium, a quo uſura, quod in ſortem accedebat, impendium appellatum.* Conf. Salmaſ. *de uſur. cap.* 2. Quod ſane mirum videri debet nemini, qui quidem rationes, quibus illa tranſlatio nititur, expenderit. Præterquam enim, quod inſolitum Romanis minime fuerit, ut verborum poteſtatem ad ea extenderent, quæ rem plerumque conſequebantur: vid. Perizon. *Reſponſ. ad Kuſter. p.* 786. veluti ita *vectura*, non vectionem tantum, ſed mercedem ejus quoque denotat, vid. Plaut. *Moſtell. act.* 3. *ſc.* 2. *v.* 138. & *mercatura* æque lucrum de merce, quam actum negotiationis complectitur; Nonius, *cap.* 5. *pag.* 726. præterea ſpeciatim id, quod vocabulo *fœnoris* accidit, permovere facile potuit veteres, ut in uſurarum notione producenda idem quoque efficerent. Nam quia fœnus, teſte Ambroſ. *de Tobia*, *cap.* 12. idem prius valebat, ac ſors, ſive caput, quod ſub uſuris conceſſum eſt, & quaſi *pecuniam increſcente tempore* parit, ceu ait Nonius, *cap.* 1. *pag.* 813. hincque alio vocabulo opus erat, quo fœtus fœnoris deſignaretur, quantitas illa, quæ inde deberi incipiebat, petito ab uſu nomine, uſura fuit appellata: quam ob cauſam Tertull. *adverſ. Marcion.*

cion. Lib. IV. *cap.* 17. uſurum vocat, *redundantiam & fructum fœneris*, ſimilique modo Iſidor. *Lib.* V. *cap.* 25. ait: *Uſura eſt incrementum fœnoris.* Et licet poſtmodum invaluerit, ut *fœnoris* etiam notione id, quod fœnebris pecunia producebat, comprehenderetur, quemadmodum perſpicue indicavit Nonius, *cap.* 5. *pag.* 741. ubi ait: *Fœnus cum uſuris ſumitur, & eſt accepti fœtus, unde & fœnus dictum eſt, ut Græce* Τοκος, *quaſi partus mutui ſumti*, quodque adverſus Salmaſ. *de uſur. cap.* 2. prolixe demonſtrarunt Gronov. *Mantiſſ. Pecun. Vet. cap.* 1. & Noodt, *de uſur. & fœn. lib.* 1. *cap.* 3. neque ſic tamen cauſa defecit, cur uſurarum vocabulum ita ampliandum eſſe exiſtimaretur: ſiquidem, quando quid ex alia, quam fœnoris collocati ratione, præſtandum propter ſortem eſſet, id fœnus nunquam dicebatur, ideoque conſentaneum erat, vocem ſurrogari, qua præſtatio ejusmodi exprimi convenienter poſſet. Vid. Noodt. *d. cap.* 3. *circa fin.*

§. III.

Etiamſi vero *uſuræ* notio hoc modo ab *uſu*, cui res ſubjecta eſt, ad id tranſierit, quod propterea penditur, eoque potiſſimum ſenſu Legiſlatoribus & interpretibus juris innotuerit; tantæ tamen minimæ fuit amplitudinis, ut omnibus promiſcue præſtationibus rei, quam quis poſſidet, nomine debitis convenerit. Quum enim I. non nullæ earum ita fuerint comparatæ, ut illis ſolis, ceu debito principali, aut merce, obligatio poſſeſſoris concluderetur, nec ſors alteri inſuper reſtituenda eſſet, veluti in annuis reditibus vel legatis, vel conventione comprehenſis, ſæpe numero contingit, vid. *L.* 22. *&* *L.* 38. *ff. de uſ. & uſufr. leg.* Dn. Böhmer. *Diſp. do præſcript. ann redit.* § 2. *num.* 1. ante omnia obſervare oportet, cum ejusmodi præſtationibus *uſuras* minime eſſe

eſſe confundendas: quippe quæ *incrementum*, *L.* 24. *pr. ff. depoſ. additamentum*, *L.* 70. §. 1. *ff. de leg.* 11. *L.* 23. *C. de uſur. dati acceſſionem*, *L.* 12. *C. de uſur.* tantum conſtituunt, ideoque ſine ſorte principali debita concipi nequeunt. *L.* 2. *ff. de pecul. leg.* Et quemadmodum II. inter *corpora* & *quantitates* alioquin magna intercedebat differentia; vid. *L.* 2. *pr.* & §. 3. *ff. de reb. cred. L.* 30. *pr. ff. de leg.* 1. ita ad *uſurarum* quoque poteſtatem dignoſcendam peculiariter ea pertinuit: ſiquidem, quæ pro corporum uſu dantur, proprie mercedes, vel penſiones, vel fructus, vel quaſi fructus appellari conſueverunt: vid. *L.* 27. §. 1. *L.* 29. *ff. de hered. petit. L.* 7. §. 1. *ff. de uſufr. L.* 13. *C. eod. L.* 19. *ff. pr. L.* 34. *L.* 36. *ff. de uſur.* quum contra *uſurarum* vocabulum nequaquam excederet præſtationes, quæ propter *quantitatem*, ſive ſortem, aut in pecunia numerata, *L.* 3. *C. de uſur.* aut in alia re fungibili, maxime fructibus, vid. *L.* 12. *L.* 23. *C. de uſur.* junct. *L.* 7. §. 1. *ff. de reb. cred.* & *L.* 1. *C. ut nem. lic. in empt. ſpecier.* conſiſtentem, pendenda fuerit. Conf. Beyma, *Comment. ad rubr. Tit. de uſur.* Licet enim in jure non ſit infrequens, ut cum *uſuris* unum alterumve, quod penſitationibus ob uſum corporum accommodatum eſt, commutetur vocabulum, ſicque uſuræ *reditus* dicantur, *L.* 24. *ff. de præſcr. verb. L.* 30. *ff. de adim. leg.* & *mercedi* comparentur, vid. Perſ. *ſat.* 6. *v.* 67. neque *a fructibus* ſeparari dicantur, quorum vicem ſuſtinent, *L.* 34. *ff. de uſur.* & penſiones ſint; *L.* 12. *inſ. ff. eod.* id ex ea tamen maxime cauſa profluit, quod ſpecies præſtationum, quæ uni generi ſunt ſubjectæ, non adeo rigoroſe ſeparatæ inter ſe fuerint. vid. Noodt. *de fœn. & uſur. L.* 1. *cap.* 2. Unde retineri debet, quod Papinianus, *L.* 3. §. *ult. ff. de uſur.* judicavit, ab uſu corporum relicto æſtimationem uſurarum adeo abeſſe, *ut non ſine rubore deſiderentur.* Sane reſtrictioni huic minus adverſari videtur, quæ in *L.* 17. §. *ult. ff. de uſur.*

uſur. L. 25. C. eodem. & *L. 2. C. depoſ.* comprehenſa eſt deciſio: quandoquidem, ſi diligentius explorata textuum ratio fuerit, manifeſtum redditur, nihil illis ineſſe, quod ad uſuras corporum pertinet: dum, quod Paulus, *d. L.* 17. de uſuris, ob ſtatuas haud poſitas, exigendis aſſeruit, uſuras non ſtatuarum, ſed pecuniæ hereditariæ, qua heres ex teſtamento ſtatuas emere & ponere tenebatur, arguit; ceu luculenter explanavit Ulpianus, *L. 5. ff. de oper. publ.* Neque Conſtantinus, *d. l.* 25. aliud decidere voluit, quam, cujus quantitatis uſuras petere liceat, ſi quis mutuum roganti vel aurum, vel argentum, vel veſtem æſtimato dederit, in vicem nummorum: hincque eodem modo quæſtionem definivit, uti in ſimili caſu prius fecerant Dioclet. & Maxim. *L. 8. C. ſi cert. pet.* cujusmodi definitio profecto non corporis, verum quantitatis æſtimationem innuit. vid. *L.* 11. *ff. de reb. cred.* Et, quod ex *L. 2. C. depoſ.* argumentum petitur, id unice inſinuat, rerum depoſitarum nomine, eo caſu, quo vel deperditæ, vel deterioratæ, vel in depoſitarii uſus converſæ fuerunt, uti æſtimationem peti, ita, quia jam de ſorte agitur, uſuras exigi poſſe. vid. Wiſſenb. *Comm. ad L. 25. C. de uſur.* Huber. *Prælect. ad ff. Tit. de uſur. §. 2.* Brunnem. *Comm. ad L. 2. C. depoſ.* Atque, ne quis exiſtimet, ſuppoſita ſorte principali, quæ quantitatis vicem ſubeat, *uſurarum* vocabulo reliquas omnes, quæ hoc nomine exiguntur, contineri penſitationes, porro III. notandum erit, ſeparandas illas adhuc eſſe, quæ arbitrio partium, quousque in fraudem legis non ſunt excogitatæ, conſtituuntur, & nulla utilitatis, quam res præſtare poteſt, habita ratione, ob id ſolum, ſi quid factum non fuerit, quod fieri debuit, vel factum fuerit, quod fieri non debuit, tanquam pœnæ præter ſortem exigi poſſunt: Wiſſenb. *Diſp. ad ff.* 42. §. 2. quoniam, quum pœnæ nomine uſura in

jure insigniatur, vid. *L.* 40. *ff. de reb. cred. L.* 90. *ff. de verb. oblig.* hoc eo nititur, quod si ob usum intererptum solvantur usuræ, simulachrum pœnæ repræsentetur. Conf. Lauterb. *Disp. de pœn. convent. cap.* 7. *§.* 37. Imo nec id IV. prætermittere licet, magnam quidem *usurarum*, & ejus quod *interest*, esse convenientiam, verum illa adhuc notione ab eo distingui, quod *usurarum* determinata sit quantitas, quam servare oportet; ex adverso autem illud, quod interest, incertæ sit æstimationis, & *usurarum* modum excedere possit; vid. Carpzov. *Lib.* IV. *Resp.* 50. *num.* 7. *& seqq.* imo & in petitionem nonnunquam ibi deducatur, ubi usurarum exactio locum non invenit. Voet. *Comm. ad ff. tit. de usur.* §. 1. *in fin.*

§. IV.

Neque tamen hæc impediunt, quominus etiamnum late satis pateat *usurarum* significatio. Quod si enim I. ad negotia respiciatur, ex quibus oriuntur, expediti profecto juris est, quælibet, in quibus de quantitate, aut æstimatione alteri præstanda agitur, quæque incrementum ob inter medii temporis commodum, *L.* 82. *pr. ff. de leg.* II. aliave ex causa admittunt, usuras parere. vid. Molinæus, *de commerc. & usur. quæst.* 1. §. 4. Muller. *ad Struv. Exercit.* 27. *th.* 42. Neque II. magis videtur esse obscurum, intra istum modum *usurarum* significationem haud esse coercitam, ut necessario in quantitate ejusdem generis, cujus est sors, ad quam accedunt, consistere debeant. Licet enim nemo negaverit, verum id esse, quotiescunque lege conventionis aliud comprehensum non sit; *L.* 23. *C. de usur.* necdum tamen inde in universum concludi poterit, rerum diversi generis promissionem *usuris* haud convenire. Sane contrarium non tantum asseruit Ambros. *can.* 4. *C.* XIV. *quæst.* 3.

quæſt. 3. dum inquit: *quodcunque ſorti accedit uſura eſt, quod velis, ei nomen imponas, uſura eſt*; verum etiam ex ipſis juris voluminibus idem colligitur: quum, ſi, pro pecunia fœnori accepta ut certa tritici modiatio præſtetur, conventum fuerit, nihil præter modum reprehendatur, *L.* 16. *C. de uſur.* & in alio etiam genere, quam ſors debita exhibet, *uſurarum* conſtitutionem eſſe validam, ex pacto antichretico conſtet: vid. *L.* 11. §. 1. *ff. de pign. & hypoth. L.* 14. *L.* 17. *C. de uſur.* quod ab uſura non differre rei ſubſtantia, recte exiſtimavit & expoſuit Noodt, *de fœn. & uſur. lib.* 2. *cap.* 9. Add. Titius, *Jur. privat. lib.* IV. *cap.* 24. §. 10. Quin imo, ſi ita contrahentibus placuerit, ut ex ſpeciebus æſtimatis *uſuræ* pendantur, *uſurarum titulo ſumma legitima* jure exigitur. *L.* 8. *C. ſi cert.* Conf. *L.* 6. §. 1. *C. de ſecund. Nupt.* Quibus, ſi quis III. adnumeraverit, quam laxo ſenſu *uſuræ* propter *uſum* ſortis præſtari affirmentur, is tanto minus ambiget, varias eiusdem exprimi poſſe imagines. Quamvis enim forte acciderit, ut vel is, qui *uſuras* exigit, ſortis alteri conceſſæ uſu non indigeat, atque lucro magis inhiare videatur, vel is, qui eas præſtat, uſu ſperato excidat, *uſurarum* nihilominus petitioni locus conceditur: cum ſufficiat, rem in medio eſſe poſitam, quæ uſibus humanis inſervire, eosque procurare queat. Hahn. *ad Weſemb. Tit. de uſur. num.* 2. Lauterb. *Coll. theor. pract. eod. Tit.* §. 6. Unde *uſura*, in ſenſu hoc generali, definiri poterit, quod ſit, *acceſſio ad ſortem, ſive quantitatem debitam, eodem maxime genere, ob uſum præſtanda.*

§. V.

At, quamvis ex dictis liqueat, quoties, ſorti debitæ ut incrementum ob uſum accedat, cauſa exiſtit, toties *uſurarum* vocabulum adhiberi ad id deſignandum poſſe: quia tamen pro negotiorum varietate, ex quibus *uſuræ*

profiſcuntur, diverſum illæ recipiunt æſtimationem, ad ſpecies earundem, & natam inde uſurarum definitionem peculiarem porro progrediendum erit. Atque, quum in eis conſtituendis potiſſimum reſpicere oporteat, utrum promiſſæ uſuræ pro uſu ſortis, an citra promiſſionem debitæ fuerint, partitionem *uſurarum* in eas, quæ *in obligatione*, & quæ *in officio judicis* ſunt poſitæ, ceu legibus convenientem, vid. *L.* 64. *pr. ff. Loc. Cond. L.* 58. *pr. ff. ad Trebell.* præcipue ſpeculari conveniet. Cui tamen quoniam proxime accedit altera, propter quam *uſuræ*, vel *ex conventione*, vel *ex mora* deſcendunt, utriusque ſimul rationem habere, &, quæ hinc pendent, ſpecies *uſurarum* recenſere, conſentaneum erit.

§. VI.

Quod itaque ad uſuras *conventionales*, ſive *in obligatione* poſitas, *Primo*, attinet: uti conventionis verbum generale eſt, & ad omnia pertinet, de quibus conſentiunt, qui inter ſe agunt, *L.* 1. §. 3. *ff. de Pact.* quare in pactiones & contractus diſpeſcitur; vid. *L.* 7. §. 1. 2. 4. *ff. de pact. L.* 19. *ff. de novat.* ita quoque *uſuræ conventionales* aliæ ſunt, quæ *ex pacto* originem ducunt, aliæ quæ *ex contractu* debentur. Et quia, quæ in pactis diverſitas obtinet, ut quædam in nudis placiti finibus ſubſiſtant, quædam, ſpeciali obligandi vi munita, præ illis emineant, in *uſuris* pariter conſpicitur; hinc *uſuræ* rurſus vel *nudo pacto* nituntur, vid. *L.* 3. *C. de uſur.* Add. Noodt. *de fœn. & uſur. L.* 3. *cap.* 2. vel facultate agendi inſuper ſunt præditæ, quam illis *legum* ſpeciatim tribuit auctoritas. vid. *L.* 30. *ff. de uſur. L.* 5. §. 1. *ff. de fœn. naut. L.* 12. *C. de uſur. Novell.* 136. *cap.* 4. Hæ autem, quæ ex obligatione contractu comprehenſa deſcendunt, *uſuræ* ita quidem non minus ſeparari poſſent, ut aliæ ad *veros* contractus, aliæ ad quaſi contractus referantur. Sed quoniam

niam uſuræ, quæ extra id quod agitur, ex tacita obligatione naſci dicuntur, vid. *L.* 13. *inf. ff. Commod.* potius uſuris officio judicis, tanquam ob moram ex re commiſſam, adjudicandis accenſeri ſolent: de quibus §. *ſeq.* dicetur, de reliquis, quarum fundamentum in vero contractu aut nova obligatione, uti Pompon. *L.* 121. *ff. de Verb. ſign.* ait, eſt poſitum, hic tantum agere conveniet. In quibus, uti I. diſtinctio obtinet, utrum pacto contractibus *adjecto* tantum promiſſæ; vid. *L.* 24. *ff. depoſ. L.* 5. *C. de pact. int. empl. & vend. L.* 40. *ff. de reb. cred.* an vero inſuper in contractum, maxime *ſtipulationem* deductæ fuerint: vid. *L.* 24. *ff. de præſcr. verb. L.* 3. *C. de uſur.* Ita II. obſervandum eſt, contractus, quibus *uſuræ* accedunt, adeo notabilem earum diviſionem produxiſſe, ut, quæ ex capite mutui præſtandæ ſunt, eas tum Fœnoris nomine extulerint Veteres, ceu Feſtus teſtatur, dum ait: *Nummorum fœtus fœnus eſt vocatum;* tum pro uſuris peculiari ſenſu habendas, & ſpeciatim definiendas eſſe communiter cenſuerint interpretes: licet in genere harum uſurarum conſtituendo ut plurimum in diverſa rurſus diſtracti fuerint. Quapropter non abſonum fore videtur, ſi *uſura*, reſtrictione ad mutui contractum facta, ita definiatur, quod ſit, *acceſſio ad ſortem, ſive quantitatem mutuo conceſſam, eodem maxime genere præſtanda.*

§. VII.

Cum his autem *uſuris*, ex conventione debitis, quia minime confundere eas licet, quæ *officio judicis* continentur, de hiſce ſciendum eſt, quod non nulli DD. qui uſurarum debitum in illis etiam ſortis reſtitutionibus deprehenderunt, in quibus fruſtratoria dilatio vixdum conſpicitur, inter *moram* & *æquitatem* diſtinxerint; vid. Lauterb. *Coll. theor. pract. Tit. de uſur.* §. 13. alii vero ad *moram* & *converſionem in uſus* proprios reſpexerint. vid.

Struv. *Exercit.* 27. *th.* 43. Enimvero magis illorum mihi placet ſententia, qui *moræ* vocabulum ſufficere arbitrantur, & ad omne dubium tollendum, inter *moram ex perſona* & *ex re* ortam diſcrimen ſtatuunt. Quod ſi enim injuſtè quis ceſſaverit, debitum exſolvere, cujus nomine interpellatus fuerat, propter moram ex perſona commiſſam, ad *uſuras* officio judicis non minus adſtringitur, quam ad ipſius ſortis præſtationem. vid. *L.* 4. *C. depoſ.* Quod ſi vero & alia cauſa adfuerit, quæ judicem ad id permovet, ut in re moram eſſe decernat, vid. *L.* 23. *§.* 1. *ff. de uſur.* veluti in quaſi contractibus, & ob favorem perſonarum, &c. contingit, jam *uſuræ* exiſtunt, quæ ob moram *ex re* oriantur. Conf. Voet. *Comment. ad ff. tit. de uſur.* §. 27.

§. VIII.

Quandoquidem vero præter has, quas expoſui, *uſurarum* diviſiones, aliæ emerſerunt, quibus admiſſis conditio earundem maximopere convertitur, res poſtulat, ut, quantum ſingulæ valeant, in apertum referatur. Quod dum expedire contendo, examine cum primis digna videtur, quæ occaſione *annuorum redituum*, & ejus, quod *intereſt*, agitari conſuevit controverſia. Etſi enim præſtationes hinc enatas plerique ab *uſuris* ſollicite ſeparant; quidam tamen ex adverſo ad unam eandemque claſſem cum his pertinere affirmant, hincque, *uſurarum palliatarum* elogio addito, illas pro ſpecie earundem venditare haud verentur. In quo ſententiarum conflictu, quoad annuos reditus, in univerſum attendendum eſſe exiſtimo, qua ex cauſa proceſſerint. Quod ſi enim eo pacto Dominus rem ſuam in alium transtuleric, ut is inde annuatim vel ſibi, vel tertio certos reditus exſolvat, negari utique nequit, manifeſtam eorum & uſurarum prominere diſcrepantiam, quamvis redi-

redimendi facultas erga certam quantitatem conceſſa fuerit : ſiquidem ſors nullo caſu interceſſit, cujus ob uſum præſtatio redituum fieret. vid. ſup. §. 111. *num.* 1. Conf. Dn. de Ludolf *Jur. Cameral. auctar.* IV. *verſ. ult.* Quod ſi vero pro ſorte, ſive pecuniæ numeratæ quantitate quis annnos reditus, aut cenſus, qui vel ſimpliciter, vel certis conditionibus redimi poſſunt, ſibi comparaverit, ſive perſonales, ſive reales, ſive mixti demum fuerint, vid. Voet *Comm. ad ff. Tit. de rer. diviſ.* §. 24. contrarium dicendum erit : quoniam, qui hujusmodi reditus ſtipulatus eſt, reapſe nihil intendit aliud, quam ut uſuras, quæ pro uſu ſortis acceptæ præſtari debent, alio verborum cortice involutas, eousque conſequeretur, donec ſortem receperit. vid. Dn. Böhmer *Jur. Eccl. Proteſt. lib.* V. *Tit.* 19. §. 24. Quamobrem egregie Jac. Curtius, *Conject. Lib.* 3. *cap.* 29. inter alia ait: *Hoc, quod res habet, per ſe & ſine perſona ſpecta. ſuam da rebus faciem. Das argentum & recipis. Et recipis, non ut de ſorte vel nummum decidas, ſed ut ſors integra tibi & ſalva maneat, & debitorem tuum & heredes ejus vectigales habeas, donec refuſa ſorte perpetuam iſtam pendendi & in ſe quotannis redeuntem neceſſitatem redimant.* Conf. *Franzk. Exercit.* 9. *quaſt.* 8. Unde quoque procul dubio eſt, quod, quoties populi Germanorum lingua utentes uſuras nominare voluerint, eas Cenſus, Zinſen vocitent. vid. Wehner. *theſaur. pract. vocab.* Zinß. Nec aliter II. formanda erit deciſio quæſtionis, quæ propter id, quod *intereſt*, a DD. movetur. Nam, utut id ab *uſuris* ipſe *ſupra* §. 111. *num.* 4. ſejunxerim; certum tamen eſt, quod, quoties in eo, quod pro uſu ſortis penditur, illius quod creditoris intereſt, habetur ratio, vid. *L.* 60. *pr. ff. pro ſoc.* toties ſub eo *uſuræ* latitent: quantumvis licet, qui uſurarum nomen inviſum nimis eſſe opinantur, quam quo uti liceret, creditori *id*, *quod intereſt* tantum adſcripſerint. De quo dubitari tanto minus poterit, quoniam,

niam, uti in LL. Imper. Germanici nihil eſt frequentius, quam ut vocabulum *intereſſen*, loco *uſurarum* occurrat; ita notanter Huber. *prælect. Tit. de uſur. §. 2.* ait: Præter vocabulum *Intereſſen, vix aliud eſt vocabulum, quo exprimantur uſuræ populariter.* Add. Dn. de Meiern. Von der Rechtmäſſigkeit des ſechſten Zinß-thalers. *§. IV. in fin.*

§. IX.

Quæ quum ita ſe habeant, nunc porro animadvertendum erit, *uſuras*, propter diverſitatem in ſuſtinendo periculo ſortis conceſſæ conſpicuam, optima quoque ratione diſtingui in *ordinarias*, & *extraordinarias.* Quippe expediti quidem juris eſt, ſortis periculum communiter eſſe penes accipientem, *L. ult. C. de naut. fœn.* hincque in uſura nihil æſtimari, niſi uſum ſortis. vid. Titius, *Jur. priv. Lib. IV. cap. 21. §. 20.* Enimvero id neutiquam eo usque extendere oportet, ac ſi partibus eapropter vetitum ſit, ne periculum ſortis ſpeciali pacto in creditorem transferatur, eoque caſu, præter uſum ſortis, periculum etiam in uſuris exigendis conſideretur. Uti enim ejusmodi pactum in jure non eſt incognitum; vid. Paul. *Recept. ſent. Lib. 2. tit. 14. §. 3. L. 1. C. de fœn. naut.* ita ejus licentiam luculentius expoſuit Noodt, *de fœn. & uſur. Lib. II. cap. 7.* Ex quo cauſa prodiit idonea, cur prior *uſurarum* ſpecies *ordinaria*, altera vero *extraordinaria* appellaretur. Sed an idem de pervulgata uſurarum diviſione in *punitorias*, *lucratorias*, *& compenſatorias*, ſit ferendum judicium, jure meritoque dubitatur. Etiamſi enim pœnæ nomen *uſuris* ob moram præſtandis in jure adhæſerit; vid. ſupra *§. 3. n. 3.* id tamen diſtinctam *uſurarum punitoriarum* ſpeciem necdum efficit: quoniam, *ſi pœna moræ ſit propter damnum illatum aut lucrum ceſſans, eſt compenſatoria:*

ſin

ſin aliter, eſt lucratoria, veluti fatetur Huber. *Prælect. Tit. de uſur.* §. 3. Neque enim ex diſcrimine, quod inter *uſuras lucratorias* & *compenſatorias* Grammatica notio poſuit, ſequitur, diverſo illas propterea jure cenſeri. Nam, ſi cui compenſatoriæ uſuræ debentur, is lucrum non minus, quam id, quod abeſt, usque ad legitimam quantitatem adipiſcitur. vid. *L.* 13. *pr. ff. Rat. rem hab.* Nec *lucrum* abſolute conſideratum, aut omne ſine diſcrimine, in cauſa eſt, quare compenſatoriis uſuris opponantur lucratoriæ; verum illud duntaxat ejus eſt conditionis, quod ſine injuſtitia aut opprobrio exigi à debitore nequit. Quamobrem convenientius fore exiſtimo, ſi, abſtrahendo ab hac diviſione, *uſuras in licitas & illicitas* eo conſilio diſtinxerim, ut *licitæ* ſint, quæ intra juſtum, aut legibus convenientem conſiſtunt *modum*, *illicitæ* autem illæ demum dicantur, in quibus ejusmodi reperitur exeſſus, qui uſuram in *fœnus* improbum transmutat, vid. *L.* 4. *ff. de fœn. naut. L.* 20. *C. ex quib. cauſ. inf.* & a Germanis Wucher, appellari ſolet. vid. Wehner. *Theſ. pract. vocab.* Wucher. Quemadmodum enim uſurarum diviſionem hoc modo concipiendam eſſe, monuit Thomaſ. *ad Strauch. Jus Juſtin. Diſſ.* 18. *th.* 13. Add. Voet. *Comm. ad ff. Tit. de uſur.* §. 4. ita eadem inſtituto meo perficiendo quam maxime eſt accommodata: utpote quæ opportunitatem mihi largitur, quousque licitæ *uſuræ* dici queant, inveſtigandi, hincque modum eruendi, quem in determinatione earum obſervare oporteat.

§. X.

At fruſtra, inquiet aliquis, finibus *uſurarum* regundis opera impenditur, quum omnes ita ſint comparatæ, ut, celebriorum ſcriptorum judicio, non longe recedant a ſcelere. Neque diffiteor, id ſi in confeſſo, aut con-

concludentibus argumentis demonſtratum fuerit, ad ineptias quemvis abire, qui in re flagitioſa inſignitas juſtitiæ notas quæſiverit. Enimvero tantum abeſt, adeo jam eſſe conclamatum, ut multo convenientius affirmari poſſe videatur, *uſuris* per ſe nihil ineſſe, cui juris vel æquitatis refragetur ratio, ac perperam agere, qui vel nominis odio, vel ob notata alicubi fœneratorum vitia, acceſſionem innocuam ſine diſtinctione infamaverint. Sane enim, etſi rationi naturali congruit, ut quilibet alterius neceſſitatibus ſubveniat, nec petenti beneficium deneget; eadem non minus comprehenditur, ut, qui rei alienæ uſum accepit, ideo gratiam concedenti rependat. Quod ubi ſuppoſitum fuerit, illico manifeſtum redditur, injuſtas haud eſſe *uſuras*, quibus officium, quod aliena meruit beneficentia, cumulate perſolvitur. *Ingratus eſt*, inquit Seneca, *Epiſt.* 81. *qui beneficium reddit ſine uſura. Itaque hujus quoque rei habebitur ratio, cum conferentur accepta & expenſa.* Et acerrimus alioquin uſurarum oppugnator Molina, *de Juſt. & Jur. tom.* 11. *Diſp.* 305. *num.* 3. fateri cogitur: *Uſura* (ſc. reprobata) *non eſt poſita in eo, quod accipiatur aliquid ex gratitudine ac liberalite mutuatarii, gratificari volentis mutui beneficium, quod non ſolum facere licite poteſt, ſed etiam facere tenetur ex quadam morali honeſtate.* Neque effugio hic locus eſt, ac ſi illæ ideo innocue tantum percipiantur *uſuræ*, quæ ab eo, qui liberalitatem exercere & vult, & poteſt, profluxerunt; eodem autem præſidio firmari reliquæ nequeant, quæ, ad inſtar debiti, invitis etiam extorquentur. Quippe quum, poſt diſtincta rerum dominia, quilibet rerum ſuarum uſu ita ſit præditus, ut aliis in easdem nihil juris competat; vid. *L.* 21. *C. Mand.* ipſa æquitas dictitat, quod, ſi quis in ſorte aliena præſtanda moram commiſerit, vel eadem ſuum commodum auxerit, is eo nomine perinde, ab ob ſortem, domino teneatur: *quoniam, dum*

uſus,

uſus, ad quam res conditione ſui deſtinata eſt, veluti eleganter ait Molinæus, *tr. de eo, quod intereſt, num.* 10. domino abfuit, debitori autem patuit, minus profecto ſolveretur, niſi interuſurium una cum ſorte repræſentatum fuerit. Ex quo nullo negotio colligitur, uſuras, quæ *ob moram*, vel *ex perſona*, vel *ex re* contingentem exiguntur, tales eſſe acceſſiones, quales, ut creditori rei obveniant, ratio imperat. Imo nec aliud quoque de *uſuris* ex *conventione* præſtandis aſſerere opus eſt, modo non ex opinione, ſed ex veritate, quæſtio æſtimata fuerit. Nimirum, quum, qui ſortem tenet, ex cujus uſu lucrum parari poſſit, eam alteri ſub uſuris permittit, ideoque ſortem tradit, ſine alterius certe injuria reſervare ſibi valet, ut in locum commodi, quo ſe abdicavit, uſuræ capiat incrementum: quandoquidem is, qui ita uſuram accipit, nihil aliud accipit, quam quod ad penſandum uſum pertinet, nec injuſtus propterea eſt, quia non, quod alterius ſit, conſequitur, ſed quod ſuum eſt, ſive pretium uſus, beneficio ſuo conceſſi. Conf. Noodt *de fœn. & uſur. lib.* 1. *cap.* 6. Quare non magis etiam disquirendum erit, utrum debitor ex uſu ſortis lucrum actu perceperit, quam, an creditor, quia ſorte interim, dum penes alium erat, haud indiguit, lucrum magis captaverit. Nam ſcrupulo priori optime occurrit Voet. *Comment. ad ff. tit. de uſur.* §. 4. quando ait: *Spem ſæpe incertam certo acquiri pretio, jus naturæ & leges permittunt; nec aliud certa paciſcuntur mercede coloni, quam incertum fructuum naſciturorum proventum; non aliud niſi ſpem fallacem, qui jactum futurum retis a piſcatore emunt, aut indaginem plagis poſitis a venatore, ad pretium præſtandum & tunc obſtricti, cum nihil omnino, aut parum interceptum eſt.* Quoad poſterius autem dubium notare ſufficit, quod nec invidere lucrum is creditori debeat, qui ejus beneficio ſe adjuvari cognovit, nec quæſtionem verecunde obmovere poſſit, quibus uſibus

creditor ſortem, ſi apud eum perſiſteret, fuiſſet impenſurus: quandoquidem æquatio juris in medio ſemper poſita manet, & flagitat, ut uſus accepti tribuatur compenſatio. Conf. Salmaſ. *de fœn. Trapezit. lib.* 1. *p.* 53. *& ſeqq.*

§. XI.

Equidem minimum me fugit, quam magno plurimi apparatu egerint, ut ratiociniis ſubtilioribus, ex ſortis aut pecuniæ natura productis, ei contrariam uſurarum oſtenderent indolem: veruntamen, uti illis jam pridem ſatisfecerunt Salmaſ. *de uſur. cap.* 8. *& ſeqq.* & Noodt, *de fœnor. & uſur. lib.* 1. *cap.* 4. *& ſeqq.* ita tanti non ſunt, ut prolixam diſcuſſionem porro exigant. Etenim, quod I. objici ſolet, pecuniam rem ſterilem eſſe, quæ ex ſe parere queat omnino nihil, nec animam habeat, nec vegetationem, ceu loquitur Vacuna, *Nov. declar. lib.* 1. *cap.* 14. hincque à fructibus *uſuras* longiſſimo intervallo disjungi, id ſuapte ſponte concidit argumentum, ſi populari licet trutina examinatum fuerit. Quippe & domus & ædificium res per ſe ſteriles ſunt, atque, quum mercedem interveniente locatione præbeant, non fructus, ſed id, quod *loco fructuum* eſt, producere dicuntur. *L.* 29. *ff. de petit. hered.* Quare non ſecus ex ſorte *uſura* percipitur, quam ex uſu corporum conceſſo merces generatur. Ziegler. *Diſp. de Mohatra.* §. 16. Conf. Grot. *de Jur. bell. & pac. Lib.* 11. *cap.* 12. §. 20. 21. Sicque nihil vetat, quominus optime hæc conveniant: *uſuram* non eſſe in fructu, quia non ex ipſo corpore, ſed ex alia cauſa eſt, *L.* 121. *ff. de Verb. ſignif.* neque natura eam provenire, *L.* 62. *ff. de rei vind.* & tamen vicem fructuum obtinere, *L.* 34. *ff. de uſur.* eoque ſenſu pecuniam non eſſe ſterilem: *L.* 3. §. 4. *ff. de contr. tut. act. L.* 7. *in ff. de uſur.* ſiquidem, uti domus aut navis, ita pecuniæ videtur

detur facta esse locatio, parique ratione *usura* cum mercede commutatur. *L.* 14. *C. de usur.* Cui nequicquam II. adversatur, quod Hotomann. *de fœn. cap.* 3. urget, pecuniam ad usum aliquem non esse dispositam, sicut agrum vel domum, sed ad pretium emendi vel vendendi: quandoquidem id falsum eo casu est, quo quis ipse emere vel vendere non vult, & alteri id facere volenti pecuniam mutuam submini strat, quum ita pro usu pecuniæ suæ concesso æstimationem jure exigat. Et quamvis III. paulo speciosius sit, quod obvertitur, in corporibus, quorum concessio mercedem operatur, valorem usus distingui à valore rei ipsius, verum in pecunia numerata, cujus usus consistit in abusu, idem non esse; ideoque corporis locati usum quidem transferri ad conductorem, minime autem ipsam proprietatem: quum contra, pecuniæ usu concesso, ejus dominium simul accipienti acquiratur: necdum tamen *usurarum* fundamentum ideo subvertitur. Uti enim, si valor spectatur, egregie Grotius, *d. l. num.* 2. ait: *Jus illud, non nisi post tempus certum reddendi pecuniam aut vinum, est aliquid æstimabile: Minus enim solvit, qui tempore minus solvit: Atque ideo in antichresi usus pecuniæ cum fructibus compensatur;* ita quoque distractio, vel abusus pecuniæ usum ejus nequaquam exhaurit: utpote qui conspicuus ad huc est in usu rerum, quæ pecunia comparantur. Ziegler. *d. l.* §. 17. Neque dominii pecuniæ translatio ad id pertinet, ut creditor minus, sed ut æque, ac corporis locator, mercedem habeat: siquidem debitori is concedit dominium usus causa, & jus crediti in eodem, aut convento genere repetendi, vice dominii retinet; ita ut non tam ex alieno, quam potius quasi ex suo utilitatem percipiat, quia *æs suum* est illius, cui alii id debent. *L.* 213. §. 1. *ff. de Verb. signif.*

§. XII.

Sed, quicquid ejus rei ſit, longe graviore niſu obſtare *uſuris* videtur, quæ illibata ſervanda eſt, S. Codicis auctoritas. Quicunque enim veteris fœderis capita ſcrutatus fuerit, illi in dubium venire nequit, Deum Opt. Max. graviſſime non tantum inculcaſſe, ut ne quis contraheret manum ſuam, ſi mutuum frater ejus petierit, qui in paupertatem inciderat; *Deut.* XV. 7-11. verum etiam præciſe vetuiſſe, ne, quum mutuum fratri ſuo quis dederit, *uſuram ullius rei, quæ in uſuram datur*, ideo illi imponeret. *Exod.* XXII. 25. *Deut.* XXIII. 19. Imo, uti ad peregrinum ac inquilinum hæc extenditur prohibitio; *Levit.* XXV. 35. 36. ita & generatim viri juſti eſſe conſtat, ut pecuniam non exponat fœnori, *Pſalm.* XV. 5. nec uſuram accipiat. *Ezech.* XVIII. 13. 17. Cujus ſanctionis perpetuitatem ſi quis eo colore impugnare velit, quod ad leges Divinas forenſes illa pertineat, quarum obligatio poſt excidium reip. Judaicæ ſublata ſit, is profecto, qui ſuſpicione piaculi ſuam liberet ſententiam, videat! Etenim temere aſſeritur, legibus, quas ſapientiſſimus Legiſlator morum pravitati oppoſuit, Chriſtianos haud amplius teneri, prout egregie expoſuit DN. Böhmer. *Jur. Eccleſ. Proteſt. Lib.* IV. *tit.* 14. §. 51. 52. Idque tanto minus in hac quæſtione fieri poteſt, quum ambigi nequeat, ſanctiſſimum Salvatorem legis vetuſtæ ſenſum repetiiſſe, quum mutuum ita dari voluerit, ut nihil inde ſperetur. *Luc.* VI. 35. Enimvero jam dudum conjecerunt viri eruditi, regulam lege divina præſcriptam adeo amplum haud admittere ſenſum, ut, omnes promiſcue *uſuras* voluntati divinæ repugnare, neceſſario ſtatuendum ſit. Quamvis enim admitti haud poſſit interpretum quorundam opinio, quaſi improbatæ unice uſuræ fuerint *mordentes*, quibus Hebraicum

Neſchech conveniat; vid. Salmaſ. *de mod. uſur. cap.* 8. *pag.* 318. *& ſeqq.* ex ipſo tamen legum divinarum contextu patet, peculiaribus, atque ejusmodi rationibus *uſurarum* niti vitioſitatem, quæ uſum earum in universum minime excludant. Quippe, quum legi Divinæ naturali nihil magis ſit congruum, quam ut opem indigentibus ac quam maxime neceſſariis ſuis, ferant, qui conſtitutam inter homines ſocietatem evertere nolunt, arctius procul dubio adſtringere id charitatis præceptum Legiſlator voluit, ne vel mutui denegatione, vel uſurarum exactione acerba, graves tribulibus, ac ejusdem fortunæ ſociis, eſſent Hebræi, quibus, inopia temporaria oppreſſis, tenui pecunia erat ſubveniendum. Quales uſuras, ceu officio viri probi & Chriſtiani contrarias, hodieque nunquam non reprobandas eſſe, nemo inficiabitur: ita ut tum ab illis, tum ab aliis *uſuris*, quæ fœnus improbum redoleant, juſtus abſtinere omnino debeat. Enimvero quibuscunque *uſuris* eam a Legiſlatore haud aſperſam fuiſſe labem, vel illud indicio eſſe poteſt, quod dationem mutui ſub uſura minime is vetuerit, quoties cum extraneo res eſſet: *Deut.* XXIII. 19. quandoquidem ea indulgentia locum non inveniſſet, ſi uſurarum tractatio per ſe turpitudinem involveret, Deoque indiſcriminatim inviſa eſſet. vid. Becmann. *Annott. ad Grot. de J. B. & P. L.* II. *cap.* 12. §. 20. Cui ne obſiſtat extenſio ad peregrinos & inquilinos facta, notandum eſt, reſtricta notionis vi, peregrinos ſolum fuiſſe deſignatos, qui, quia Proſelyti Juſtitiæ erant, parili cum Hebræis jure utebantur. Selden. *Jur. Nat. & Gent. lib.* VI. *cap.* 10. Atque ita Chriſtus legem vetuſtam memoravit, ejusque declaratione ſubjecta manifeſtiſſime patefecit, quemadmodum quemvis oporteat, ſi cui egeno pecunia mutua opitulari queat, ei ſe paratum, & facilem præbere, quamvis nihil, ſive de ſorte, ſive de uſuris agatur, inde ſperaverit. Vid. Wiſſenb. *ad ff. Diſp.* 42. *th.* 3. Noodt.

de

de fœn. & uſur. lib. 1. *cap.* 11. Ex quo tamen *uſurarum*, quas ſortis elocatio in commerciis, & negotiationibus admiſſa producit, eo minus inferre licet flagitium, quum ipſe Salvator in parabola ſervum reprehenſione digniſſimum judicaverit, qui pecuniam ſibi traditam ad menſam non dederat, quam Dominus cum fœnore reciperet. *Matth.* XXV. 27. *Luc.* XIX. 23. Conf. Voet. *Diſpp. Theol. vol.* IV. *Diſp.* 1. *&* 2. *de uſur.*

§. XIII.

Quum igitur Legiſlatores ſalva, quæ legibus divinis debetur, reverentia permittere *uſurarum exercitium* ſubditis potuerint, a quibus improba abeſſet exactio, quid Romano jure circa id ſancitum ſit, porro enucleare, atque, ne ordo negligatur, eo nomine de uſuris *conventionalibus*, aut in obligatione poſitis, primum, tum vero de iis, quæ ex *officio judicis*, ſive ex mora, deſcendunt, agere referet. Sane uſuras conventionales, quamvis initio ab omni forte fœnore abhoruerint Romani, vid. Appian. *de bell. civil. Lib.* 1. antiquiſſimis modo Reip. temporibus viguiſſe, inde patet, quod de Servio Tullio prolixe teſtetur Dyonyſ. Halicarn. *Antiq. Rom. Lib.* IV. *pag.* 216. quemadmodum, gratiam populi ut captaret, legem illi promiſerit, qua fœneratorum comprimeretur acerbitas. Idemque luculentius adhuc declarat, quæ de unciarii fœnoris licentia in LL. XII. Tabb. extat diſpoſitio. vid. Salmaſ. *de fœn. Trapez. præf.* vid. J. Gothofr. *font. jur. civil. Lib.* V. *Annott. ad tab.* 3. Equidem contigit poſtmodum, ut, quia *multiplici jam ſorte exſoluta*, *mergentibus ſemper ſortem uſuris*, *obrutos ſe fœnore eſſe*, debitores clamabant, uti ait Livius, *Lib.* VI. *cap.* 14. perlata a M. Duillio, & L. Mœnio, Tribunis plebis, rogatione cohiberetur fœnoris licentia: vid. Liv. *Lib.* VII. *cap.* 16. *& cap.* 27. Tacit. *Annal. Lib.* VI. *cap.* 16. imo & in univerſum *verſura* ita vetaretur, ceu Tacitus, *d. l.* ait,

ait, ut L. Genucius rogationem ferret, *ne fœnerare liceret.* vid. Liv. *lib.* VII. *cap.* 42. Veruntamen neque hiſce legibus, neque inſecuta lege Sempronia, quæ cum ſociis, ac nomine Latino, pecuniæ creditæ jus idem, quod cum civibus Romanis, eſſe voluit, vid. Liv. *Lib.* XXXV. *cap.* 7. obtineri potuit, ut fœnoris exactio remitteret, quum in dies id creditores agerent, ut legum eluderent arte efficaciam. vid. Tacit. *d. l.* Quare deinceps illi, quibus legum aut rogandarum, aut ferendarum cura, atque auctoritas erat concredita, eo potius conſilia ſua direxerunt, ut, permiſſo *uſurarum* incremento, talis illis modus conſtitueretur, qui cum æquitate & civili ſalute conciliari poſſet: ita ut, ne quisquam ſine ſufficiente cauſa præter ſortem obligaretur, diſtinctio ſaltem fieret, quanam conventionis ſpecie is nitatur, qui *uſuras* in actionem deduxerit. Quod ſi enim I. *pactum nudum* de præſtandis uſuris interpoſitum fuiſſet, nullius id, quoad obligationem civilem, propterea erat momenti, quia ex pacto nudo actio non naſcitur: vid. Paul. *Rec. ſent. lib.* II. *tit.* 14. §. 1. quamvis ex pacti conventione ſolutæ uſuræ, ob vim obligationis naturalis, neque ut indebitæ repetantur, neque in ſortem accepto ferendæ ſint. *L.* 3. *C. de uſur. L.* 5. §. 2. *ff. de ſolut.* Unde nec *uſurarum* exactioni inde colorem quærere licebat, quod aliquando ex conſenſu præſtitæ fuiſſent: quandoquidem ea præſtatio in futurum obligare nequit. *L.* 28. *C. de pact. L.* 7. *C. de uſur.* Nam, etſi frequens ac diuturna præſtatio rei, ad cujus conſtitutionem præter conſenſum nihil requiritur, in futurum quoque obligationem operari valet; vid. *L.* 1. *C. de fideicomm. L.* 20. *C. de agric. & cenſ.* eo tamen effectu haud eſt prædita, ſi conſenſus nudus, aliunde vim nullam habens, ad inducendam obligationem inutilis fuerit. vid. Noodt, *de fœn. & uſur. Lib.* III. *cap.* 1. Neque opus eſt, ut ab hac ſententia quis ſe dimoveri patiatur, quia

Papin. *L. 6. ff. de uſur.* ſolvendas uſuras eſſe judicavit, quæ longo tempore fuerint præſtitæ, quum veritati admodum ſit conſentaneum, JCtum *uſuras* ſuppoſuiſſe, quæ ex ſtipulatu debitæ fuerant, & quarum nomine dubium inciderat, utrum ex ſorte proceſſiſſent, in rem patris ita verſa, ut peti ab herede poſſent. Conf. Voet. *ad ff. tit. de uſur. §.* 13.

§. XIV.

Et quamvis II. in contentionem haud venerit, conventiones, *uſurarum* ob cauſam initas, aliam mereri conſiderationem, ſi promiſſio earum intra nudi pacti terminos non ſubſtitiſſet, ſed contractui, ex quo ſors debetur, per pactum in continenti adjectum fuiſſet appoſita; vid. *L.* 13. *C. de Pact.* ideo tamen in uſuris promiſſis adjudicandis necdum omnis ſublata fuit differentia. Sicuti enim veri admodum eſt ſimile, quod Noodt, *de fœn. & uſur. L.* III. *cap.* 5. *inf. & cap.* 6. item *de pact. & tranſact. cap.* 11. *in f.* aſſeruit, initio & ante conſtitutiones Impp. potiſſimum D. Pii, uſuras ex pacto civiliter peti nullatenus potuiſſe, cuicunque etiam contractui adjectum id tuerit: ſiquidem uſuræ, niſi in ſtipulationem deductæ, aut ex obligatione nova non debentur; *L.* 24. *ff. de præſcr. verb. L.* 3. *C. de uſur. L.* 121. *ff. de Verb. ſignif.* ita nihil eſt, quod legibus juris civilis magis conveniat, quam poſt illa quoque tempora, quibus pacta contractibus adjecta, æque ac contractus, civiliter obligare coeperunt, diſtinctionem fuiſſe ſervatam, quali contractui promiſſio uſurarum acceſſerit. Sane, quum contractus bonæ fidei cauſſam promiſſioni dediſſet, jam quidem porro haud dubitabatur, quin pactum adjectum ad formandam actionem ſufficeret: *L.* 7. §. 6. *ff. de pact.* utpote quo lex contractui appoſita continetur,

L. 24.

L. 24. *ff. depoſ.* atque actio ex contractu deſcendens adeo afficitur, ut, ſi uſuræ pacto comprehenſæ fuerint, earum perinde ac ſortis haberi debeat ratio. *L.* 5. *C. de pact. int. empt. & vend. L.* 26. *§.* 1. *ff. depoſ.* At, ſin in contractu ſtricti juris verſati fuiſſent paciſcentes, tantam promiſſioni uſurarum, pacto adjecto comprehenſæ, haud tribuerunt JCti Romani efficaciam, ut effectum agendi, quem in contractu bonæ fidei ſortiebatur, conſequi poſſet. vid. *L.* 17. *pr. de pact. L.* 11. *§.* 1. *ff. de reb. cred. L.* 99. *pr. ff. do Verb. oblig.* Nam, licet permulti acerrime inſtent, pacta contractibûs ſtricti juris in continenti adjecta eis ineſſe credi; *L.* 40. *ff. de reb cred. L.* 135. *§.* 2. *ff. de Verb. oblig.* illa tamen ſententia ab aliis non ſine cauſa exploditur: vid. Dn. Otto, *Theſ. Jur. Rom. tom.* v. *Præf. pag.* 20. imo nec, ſi admittenda alias eſſet, validitati promiſſionis, quoad uſuras pactitias, quicquam adiicit, quoniam eo usque minime extenditur, ut ea ſimul complecteretur, quæ ſtipulationis quantitatem augeant. vid. *L.* 1. *§.* 1. *ff. de verb. oblig.* Noodt, *de pact. & tranſact. cap.* 12. Quamobrem, ſi aliquando III. de hoc rigore remiſerunt Legiſlatores & interpretes, facile perſpicitur, non adjectioni pacta valorem debere, ſed peculiari legis præſidio, quo uſurarum promiſſio legitimis conventionibus nonnunquam fuit inſerta. vid. *L.* 6. *ff. de pact.* Atque, quum deinde obtinuerit, ut pacti *legitimi* virtutem ejusmodi uſurarum conſequeretur promiſſio, quæ vel civitati præſtandæ erant, *L.* 30. *ff. de uſur.* vel argentariis, *Nov.* 136. *cap.* 4. vel in fœnore nautico, *L.* 7. *ff. de naut. fœn.* vel in mutuo frumenti aut hordei, *L.* 12. *C. de uſur.* protinus patet, quare Paulus, *d. l.* 7. ſcripſerit, in *quibusdam* contractibus etiam uſuras deberi, quemadmodum per ſtipulationem: nimirum, quia effectus agendi enumeratis conventionibus, ſpeciali legis beneficio, acceſſit. Conf. Noodt, *de fœn. & uſur. lib.* III. *cap.* 2. Dn.

Böhmer, *Jvr. Eccleſ. Proteſt. lib.* v. *tit.* 19. §. 16. Quod ſi autem IV. in contractum ita tranſiiſſet conventio, uſurarum nomine concepta, ut interrogatione, ſive ſtipulatione præcedente, promiſſionem recte factam fuiſſe conſtet, nullum quidem dubium ſupererat, optimo jure easdem deberi, *L.* 1. *C. de uſur.* qualecunque demum id fuerit negotium, cui iſthæc promiſſio acceſſerit. Struv. *Exerc.* 27. *th.* 47. At, an citra ſtipulationem, ob uſuras ſpeciatim interpoſitam, idem in contractu ſtricti juris effici potuerit, ſi ſcil. non per pactum adjecta tantum, ſed in ipſo contractu dationi ſortis implicita fuerit promiſſio, minus eſt expeditum. Etenim, id quare admitti nequeat, pluribus expoſuit Noodt, *de pact. & tranſact. cap.* 12. Enimvero ſpecioſe arguit Ampliſſ. Dn. van Bynckershoek, *Diſſ. de pact. ſtr. jur. contr. adject. cap.* v. analogiam juris hoc prorſus ſuadere: quandoquidem in traditionibus rerum, quod pactum ſit, manifeſto valet, *L.* 48. *ff. de pact.* talisque promiſſio in contractum innominatum degenerare, & licet minime condictionem, tamen actionem præſcriptis verbis parere videtur. Cujusmodi degeneratio ſane mira adeo non foret, quum explorati juris ſit, actionem præſcriptis verbis ſæpe concedi, ubi, qualis actio inſtituenda fuerit, ambigitur. vid. *L.* 3. *L.* 5. *in f.* *L.* 21. *ff. de præſcr. verb.*

§. XV.

Uti autem iſthoc modo permiſerunt Romani, ut ex conventione inita peterentur *uſuræ*, ita non minus indulgentes, inillis, interveniente *Judicis officio*, adjudicandis, exſtiterunt, ſi quando iniqua ceſſatione debitor ſortem alteri repræſentandam retinuerit, aut eandem in uſus ſors converterit. Etiamſi enim in ſtricti juris judiciis regula ſervata fuerit, ut officio judicis aliter ſubjecta haud eſſet *uſurarum* addictio, quam ſi fuiſſent

pro-

promiſſæ: ceu egregie docuerunt Noodt, *de uſur. & fœn. Lib.* III. *cap.* 12. Voet. *Comment. ad ff. tit. de uſur. §.* 10. Cujac. *obſervat. lib.* XIV. *cap.* 22. imo neque in bonæ fidei judiciis initio tantum valuerit judicis officium, ut uſuras, niſi de eis præmiſſa ſtipulatione conventum fuiſſet, creditor conſequeretur: vid. Noodt, *de pact. & tranſact. cap.* 11. *inf.* ſucceſſu temporis tamen æquitatis veneratio conditores juris permovit, ut in aliam diſcederent ſententiam. Poſtquam enim æquatione juris, quæ eſt in ſocietate, uſuras quoque contineri agnoviſſent, *L.* 60. *ff. proſit.* porro in univerſum fuit conſtitutum, ut in bonæ fidei judiciis eo uſque valeret officium judiciis, quouſque in ſtipulatione nominatim facta interrogatio. vid. *L.* 24. *ff. depoſ. L.* 7. *ff. de negot. geſt. L.* 34. *ff. de uſur.* Unde poſtmodum dimanavit, ut, quum quis, adhibita a creditore debiti repetendi inſtantia, *L.* 32. *§.* 1. *ff. de uſur.* jure interpellatus non ſolverit id, quod ex negotio bonæ fidei debebat, vid. *L.* 17. *L.* 21. *ff. de uſur.* in uſuras is, ob moram ex perſona debitas, ultra ſortem condemnaretur. *L.* 13. *§.* 20. *ff. de act. empt. & vend. L.* 17. *§.* 4. *ff. de uſur.* Quod jus, ex quo ſemel increbuit, tam altas in animis JCtorum egit radices, ut præterea non tantum in legatis ac fideicommiſſis, dum poſtulanti non dantur, aut ob dilatam præſtationem, uſuras ex mora peti poſſe aſſererent; Paul. *Rec. ſent. lib. III. tit.* 8. *§.* 14. *L.* 34. *ff. de uſur. L.* 24. *ff. de uſu & uſufr. leg.* verum etiam in pollicitatione, non liberalitatis nomine, ſed ob juſtam cauſam, Reip. facta, *L.* 7. *pr. ff. de pollicit.* uti & in actione rei judicatæ, *L.* 2. *C. de uſur. rei jud.* ac illis, quæ fiſco ex quocunque contractu debentur, *L.* 17. *§.* 5 *ff. de uſur.* idem facta ampliatione fas eſſe judicarent. Atque, quo minus uſurarum debitum tum ſolum admiſſum fuiſſe videri poſſet, quum mora ex perſona originem duxiſſet, ulterius in legibus cautum fuit, ut ne,

ſi mora *in re* poſita ſe judici obtulerit, *uſurarum* is in ſententia oblivisceretur, quas debitori imponeret. *L.* 23. §. *L.* 38. §. 1. *ff. de uſur.* Quo nomine obtinuit, ut, ſi præfinito obligationi die non extat, qui conveniatur, debitor, is moræ obnoxius eſſe incipiat, *L.* 23. §. 1. *ff. de uſur. L.* 2. *ff. de foen. naut.* neqne ab ea immunis ſit, qui tardius id, quod die certo debet, exhibuit: *L.* 9. §. 1. *ff. de uſur.* maxime, ubi favor perſonæ creditoris concurrit, qualis cumprimis in pupillo & minore, atque fiſco conſpicitur. *L.* 3. *C. in quib. cauſ. reſt. in integr. nec. non eſt*, *L.* 77. §. 5. *ff. de uſur.* Cui ſimile eſt, quod emptor ad uſuras teneri dicatur, licet nulla ejus, propter interpellationem neglectam, mora intervenerit. *L.* 13. §. 20. *ff. de ait. empt. & vend. L.* 5. *C. eod.* Quo jure ſemel admiſſo non evenire rurſus non potuit, ut *uſurarum* præſtatio illis peculiariter injungeretur, qui ſortem alii debitam, quo ex ea lucrum perciperent, in proprios uſus converterant: ita ut juſtiſſima ratione conſtitutum fuerit, quemadmodum, ſi vel ſocius pecuniam communem, vel depoſitarius rem depoſitam invaſerit, uſuris locus concedi debeat, licet mora alioquin redditionem haud præceſſerit. *L.* 1. §. 1. *ff. de uſur. L.* 3. *L.* 4. *C. depoſ.* Cujusmodi interceptio uſus rei alienæ quum pariter ad quaſi contractus, qui bonæ fidei ſunt, pertineat, ſimul pateſcit, qui factum ſit, ut a negotiorum geſtore, tutore, hærede, &c. uſuras exigere liceret. vid. *L.* 38. *ff. de negoi. geſt. L.* 1. *C. de uſur. pupill. L.* 46. §. 4. *C. de Epiſc. & Cler.* Et quamvis non nulli DD. hic argutari, ſibique ac aliis perſuadere contenderint, illi uſurarum, ceu priſtino jure conſtitutæ, licentiæ Juſtinianum Imp. eo ipſo derogaſſe, quum Concilii Nicæni canones diſerte approbaverit; vid. *L.* 2. *C. de ſumm. Trinit. Novell.* 131. *cap.* 1. ea tamen ſententia merito rejicitur: ſiquidem uſum forenſem uſurarum concilium Nicænum neutiquam excluſit, uti §. XV. dicetur, nec Juſtinianus eo unquam eſſe potuit

tuit animo, ut uſuras prohiberet, quippe qui easdem frequentiſſime alias approbavit. vid. *Nov.* 27. *cap.* 6. *& ſeq. Nov.* 136. 138. 162. Quare etiam Leo Imp. æris alieni uſum ad uſuras procedere poſſe, noviſſime edixit. *Nov. Leon.* 83. Add. Harmenop. *Procheir. lib.* III. *tit.* 7.

§. XV.

Verum enim vero in omnia alia diſceſſerunt, ex quorum ſcriptis conflatum fuit Jus Canonicum, Doctores Eccleſiæ, ac deinde Epiſcopi Romani: utut primis temporibus moderatior ea in re doctrina emerſerit, quam ſubſequente ævo fuit recepta. Nam inficiari quidem haud licet, Patres eam foviſſe ſententiam, ac ſi regulas amoris, ſecundum præcepta Salvatoris, proximo debiti plene ſatis haud exequerentur, ſed publicum avaritiæ argumentum ederent, qui pecuniam fœnebrem elocaſſent. vid. Cyprian. *de Lapſis*, Lactant. *Divin. Inſtit. Lib.* VI. *cap.* 8. Ambroſ. *de Tobia*, *cap.* 3. Chryſoſtom. *in Matth. cap.* 21. *Homil.* 38. Neque etiam controvertere lubet, in quibusdam unius, vel alterius provinciæ conciliis placuiſſe, ut ab eccleſia ſepararetur, qui uſuras iniquas exegerit, utpote quod conſtat ex *concil. Eliberitano*, anno 313. habito c. 20. apud Caranzam, *Summ. Concil. pag. m.* 83. At hujusmodi prohibitiones uti in univerſum ad illicitum uſurarum modum potius, quam ad id, quod ob uſum æquabili ratione penditur, reſpexiſſe videntur; ita in canonibus Apoſtolicis, *can.* 45. Concilio Nicæno, *can.* 17. Carthaginenſi III. *can.* 16. perſpicue declaratum fuit, quemadmodum lucri ex uſuris provenientis participatio ſolis clericis vetita cenſeri debeat. Conf. Mareſ. *Annott. ad Cucchi, Inſtit. Jur. Can. lib.* 4. *tit.* 7. *not.* 1. Enimvero, quum deinceps artificiosa Hierarchiæ Papalis machina compararetur, neque obſcurum cuiquam eſſe poſſet, quanti ejus interſit, ſi populo perſuaſum fuerit, omnes

omnes ejusdem reipublicæ Christianæ, sub uno capite, Pontifice Romano, collectæ membra esse, contigit, ut singula, quæ de prohibitione usurarum ad Judæos inter se pertinente, in republica Hebraica Theocratica Patres attulerant, diligentius compilarentur, jamque pro certo jure haberi inciperet, Christianis pariter sine discrimine ab usuris esse abstinendum. vid. *C.* XIV. *quæst.* 3. 4. Sane ex illo tempore in eo cum maxime desudasse Episcopos Romanos, ut usurarum nomen, pœna illis apposita, invisum laicis redderent, inde colligere licet, quod, quum tenacissimus Primatus assertor, Leo, vid. Morn. *Myster. iniquit. pag. m.* 141. censuræ ecclesiasticæ quoscunque Christianos ideo subjecisset, *can.* 7. *C.* XIV. *qu.* 4. postmodum, decessorum exemplo animati, Pontifices eousque processerint, ut & antichresin damnarent, *cap.* 1. *&* *c.* 8. *de usur.* usurariis communionem & sepulturam ecclesiasticam denegarent, *cap.* 2. X. *eod.* nec dispensationem circa usuras permitterent, *cap.* 4. *X. eod.* earum restitutionem injungerent, *cap.* 5. *&* *c.* 9. *X. eod. cap.* 2. *de usur. in* 6. imo ad usuras referrent, si ob solutionem dilatam, quid carius venditum fuerit, distinctione haud admissa, an usuræ ultro solverentur, *cap.* 10. *X. eod.* aut Judæus illas exigeret, *cap.* 12. *X. eod.* aut jurejurando firmata usurarum promissio esset: *cap.* 13. *X. eodem.* ita ut usuræ ad instar spolii æstimari debeant, *cap.* 14. *&* *c.* 17. *X. eodem.* usurarii vero inquisitioni subjiciendi sint, *cap.* 15. *X. eod.* nec tolerari a quopiam possint, *cap.* 1. *de usur. in* 6. prohibitione sub excommunicationis pœna ulterius facta, ne usuræ promissæ adjudicarentur. Clem. *un. de usur.* Enimvero, quantis execrationibus etiam prosecuti usuras fuerint Pontifices, tantum tamen abest, ut id, quod in usuris, si reprobari debeant, summam vitii conficit, vel agnoverint, vel exterminare voluerint, ut ex ipsis Decretalibus Epistolis, ac interpretatione Doctorum potius liqueat,

queat, de nomine uſurarum magis fuiſſe certatum, quam de re ipſa, ſive additamento, quod propter uſum ſortis alteri præſtandæ debitor exſolveret. vid. Leyſer. *Meditt. ad. ff. ſpecim.* 252. Etſi enim 1) nec ipſi Canoniſtæ diffitentur, id quod *intereſt*, ab uſuris non eſſe alienum: quia tamen illo merum creditoris lucrum haud contineri arbitrantur, minime abnuunt, conſentaneum doctrinæ Pontificum eſſe, ut, qui ratione ejus, quod ſua intereſt, a debitore aliquid recipit, vel petit ultra ſortem, ideo quod nullum lucrum ſit, ſed compenſatio abſentis lucri, vel damni præſentis, quod creditor ob reſtitutionem ſibi non factam ſuſtinuit, is recte idem conſequatur. Caniſ. *tr. de uſur. cap.* 1. *num.* 6. *&* 13. Conf. *cap.* 9. *X. de arbitr. cap. un. X. de plus petit.* adeo ut eousque quoque antichreſin juri Canonico haud contrariari affirmetur. Engel. *Coll. Jur. Canon. lib.* v. *tit.* 19. *§.* 2. *num.* 17. Quo nomine tamen creditoris avaritiæ plus conceſſum, & notiones morales turpiſſima confuſione magis corruptas fuiſſe, quam ſi moderatas uſuras, ſecundum leges civiles, illi accipere licuiſſet, nemini obſcurum eſt, qui cogitaverit, petitionem ejus, quod intereſt, ad quamcunque ſummam poſſe aſcendere. vid. Tabor, *de alter. tant. part.* 2. *art.* 5. Add. ſupra §. 111. *inf.* Neque minus profecto 2) ſimulatæ hujus philoſophiæ documentum in eo proſtat, quod conſtitutio *annuorum reddituum* a Pontificibus permiſſa fuerit. Nam, quia ita tantum, *honeſtiore nomine* emtionis, *mutuum uſurarium texerunt, & colorem hunc alleverunt, quod non* uſura, *ſed* merx *vendita ſit, non* acceſſorium, *ſed* debitum principale, *factum, ut rei communi ſub principiis fucatis, fictisque graviſſima vulnera inflicta, debitores vero, non tam rei familiaris naufragium ex* uſuris moderatis, *quam ex* annuis reditibus *perceperint:* prout egregie ſcripſit Dn. Böhmer, *Jur. Eccl. Proteſt. lib.* v. *tit.* 19. §. 51. hinc in oculos incurrit, uſurariæ rei patrocinatos fuiſſe Martinum

V. & Calixtum III. quod, manente uſurarum prohibitione, annuorum redituum, ſive cenſuum, promiſſionem, arbitrio paciſcentium reliquerint. vid. *Cap.* 1. *&* 2. *Extravag. comm. de empt. vend.* Uti & tacite agnovit Clemens VIII. quum cenſum ad ſeptuncem reduxerit. vid. Cherub. *Bullar. magn. tom.* III. *pag.* 5. Atque, uti idem 3) luculentius adhuc cernitur, quum, qui pecuniam, vel granum, &c. ea conditione alteri concedit, ut alio tempore amplius, quam res tradita prius valeret, recipiat, ab uſurarum crimine liber declaratus fuerit: vid. *cap.* 6. *& cap. fin. X. de uſur.* ita 4) exinde pariter cognoſcitur, quod fœnus nauticum, in quo creditor in ſe ſuſcepit periculum, uſuris prohibitis minime accenſeatur. *cap. fin. X. de uſur.* Nam legendum ibi eſſe, *uſurarius* non *eſt cenſendus*, arguunt adjectæ deciſioni ampliationes, quibus nullum *quoque* vitium ſubeſſe ſtatuitur. Quare in eam ſatis aperte propendet ſententiam Engel. *Coll. Jur. Can. lib.* V. *tit.* 19. §. 2. *num.* 15. Imo nihil aliud 5) Pontifices etiam, niſi uſurarum exactionem introduxerunt, ex quo montibus pietatis locum conceſſere: ſiquidem menſis trapeziticis hi proxime reſpondent, &, quod pro pecunia inde accepta præter ſortem præſtandum eſt, lucrum ſiſtit uſurarium, & principaliter, uti DD. loqui ſolent, intentum, quocunque etiam colore id tinctum inſtitutum fuerit, uti prolixe deduxit Nicolaus Barrianus *de mont. impiet. num.* 182. *& ſeqq.* Quare Franciſc. Papafava, *deciſ. de monte Pietatis, num.* 13. *& ſeqq.* haud male arguit, ejusmodi conſtitutiones cum prohibitione uſurarum prius facta minime poſſe conciliari.

§. XVII.

Sed tempus eſt, ut circumſpiciatur, quid hæc jurium circa *uſuras* variatio in illis effecerit populis, quos peregrinæ legis reverentia eo usque abduxit, ut exinde fæ-

ſæpius, quam ex priſci moris cynoſura, negotiorum forenſium definitionem arceſſerent. Quod ut debite fiat, ante omnia erit obſervandum, quemadmodum ignoratus in Germania magna pecuniæ & negotiationis uſus vid. Tac. *de mor. Germ. cap.* v. vix locum relinquat quæſtioni, quid populi, totius fere Europæ victores, de uſuris pecuniæ antiquiſſimo ævo ſenſerint. Nam, quamvis forte tum modo evenerit, ut, quod rerum fungibilium alteri ſupereſt, alteri deſit, ea conditione concederetur, ut quantitati debitæ additamentum accederet; certi tamen nihil de eo propterea adfirmari poteſt, quoniam in *Codice legum antiquarum*, quem Lindenbrogius edidit, manifeſta ſatis ejus rei haud reperiuntur veſtigia. At illud magis eſt expeditum, uti commercia, ita & uſurariæ pecuniæ exactiones tum maxime frequentari à populis Germaniæ cœpiſſe, quum debellatis gentibus, quæ Romano paruerant Imperio, permixti, & nummorum copia ab illis aucti fuerint. Sane in LL. Wiſigothorum, *Lib.* v. *Tit.* 4. §. 4. cautum deprehenditur, ut, ſi pecunia ſub uſuris credita caſu perierit, debitor ſortem reſtitueret ſine uſuris, præterquam, ſi alterum tantum ea ſit lucratus: ſin debitoris dolus vel culpa vero interceſſerit, & ſortem & uſuras reddere teneretur. Atque dehinc quoque uſuras ideo haud ſtatim fuiſſe proſcriptas, quod Conciliorum canones illis contrariarentur, inde perſpicitur, quod Carolus M. *lib.* IV. *Capitul. cap.* 17. apud Baluzium, *tom.* 1. *pag.* 796. exceſſum duntaxat vetuerit, ne ſcil. duplum vel triplum nomine uſurarum reciperetur. Neque etiam, quæ in dies latius proſerpſit, ſedis Romanæ ac Epiſcoporum auctoritas, tantum effecit, ut uſurarum idcirco ceſſaret exactio. Quod ſi enim additamentum ſortis, *ob moram*, expectatum ab officio Judicis fuiſſet, uti illi ſe haud oppoſuere Pontifices, veluti §. *prec.* XVI. memoratum fuit; ita, in litium eo nomine motarum definitione, perpetua facultas judicantibus re-

remanſit, id, quod vel ob damnum emergens, vel lucrum ceſſans intereſt, actori indulgendi. Quo nomine damna & intereſſe ſecundum canones peti poſſe, Gloſſa pronuntiavit, *in cap.* 8. *X. de uſur. Voc. de feudo.* Imo & in eam tam proni deſcenderunt ſententiam interpretes, eamque ad uſum forenſem traduxerunt, ut, quum in ſtricti juris judiciis, ſecundum regulas juris civilis Romanorum, officium judicis quieſcat, vid. *ſupra*, §. VIII. ampliore ei aſſerto, quod eſt in *L.* 34. *ff. de uſur.* interpretatione adjecta, id quod *intereſt*, ſive proprie uſuras, illi, cui ſors præſtanda erat, aut ex ſola mora, aut ex tempore litis conteſtatæ, indiſtincte addici debere, pronuntiarent. vid. Dn. de Meiern, Von der Rechtmäſſigkeit des ſechſten Zinß-thalers. §. 33. Groenewegen, *de LL. abrog. ad L.* 37. 38. *ff. de negot. geſt.* & *ad L.* 12. *C. de contrah. & committ. ſtipul.* Idque non ſolum in damno emergente, verum in lucro quoque ceſſante, obtinere, contra Gailium, *Obſervatt. Cameral. Lib.* II. *obſ.* 6. aſſeruit Engel. *Coll. Jur. Canon. lib. V. tit.* 19. §. 1. *num.* 4. Unde ſane eſt, quod non tantum *in Receſſ. Imp. de anno* 1600. §. So viel num. 152. in gratiam creditorum ſancitum expreſſe fuerit, ut certum quid, loco, intereſſe a tempore moræ petere poſſent; verum etiam eo nomine uſuras, ſub nomine derer *intereſſen*, judicium Camerale illis adjudicaverit: Dn. de Meiern, *d. l.* §. 31. ſic ut de ejusmodi præſtationum debito haud dubitetur. vid. Blum. *Proc. cameral. tit.* XXXIV. *num.* 102. Neque aliud ſane in Belgio obtinuit. Nam, uti id edicto Carol. V. Imp. modo comprehenſum fuiſſe referunt Zypæus, *Notit. Jur. Belg. Lib.* IV. *pag. m.* 107. & Chriſtin. *Deciſ. Belg. Vol.* I. *deciſ.* 293. ita de uſu forenſi continuato teſtatur van Leuwen, *Cenſur. for. lib.* IV. *cap.* 4. *num.* 16. dum ait: *In praxi eſt receptum, toties in ſtricti juris judiciis, ex tempore moræ uſuras deberi, quotiescunque lucri ceſſantis, aut damni emergentis ratio intervenit. Quæ cum in mutuo fere ſit perpetua; ſic ut nunquam fere non interſit, pecunia, aut alia re fungibili*

ſua

ſua carere: perpetuam etiam facit regulam, in mutuo, quod per ſe gratuitum & ſtricti juris eſt, etiam citra ſtipulationem, mora ſc. & quod ejus cauſa intereſt, uſuras exigi poſſe & deberi.

§. XVIII.

Interim *uſuris conventionalibus* diutius obſtitit perſuaſio, ac ſi, ceu æquitati & legibus contrariæ, penitus ab exercitio Chriſtianorum ſint removendæ: ita ut, qui ſine illarum exactione conſulere neceſſitatibus ſuis haud valebant, ad involucra cum Pontificibus, vid. §. XVI. confugere maluerint: donec, detectis tandem curiæ Romanæ technis, innocua uſurarum præſtatio deprehenderetur. Hinc enim evenit, ut, quia ab uſurarum exactione quodammodo recedi videbatur, ſi debitor ſortis rem ſuam creditori tradidiſſet, ut proventibus ejus in vicem uſurarum frueretur, per modum pacti *antichretici* ſibi conſulerent, qui cenſuræ eccleſiaſticæ ſua exponere negotia formidabant. Et licet Pontifices ejus modi prætextum rejecerint; *vid. §. præced.* XVI. conventionum tamen iſtarum uſus in tantum modo invaluerat, ut privati non ſolum, verum etiam Imperatores & Principes jure ſe agere continuo exiſtimarint, quum interveniente oppignoratione mutuum vel darent, vel acciperent. vid. Marculf. in formul. apud Baluz. *Tom.* II. *Capitul. form.* 50. *pag.* 463. Dithmar. *Cod. Diplom. Clivenſ. num.* 15. 16. Dn. Pottgieſſer, *de indol. & nat. Pign. ſect.* III. *cap.* 2. §. 29. Atque, ut eo minus ſuſpicio oboriretur, ad uſurarum lucrum, quod ex mutui contractu naſcitur, conventionem reſpexiſſe, ſurrogari oppignorationi nomen emtionis & venditionis, ſub pacto de retrovendendo, conſuevit: ſic ut in dijudicandis medii ævi chartis difficillimum ſit, indagare, utrum in contractum pignoratitium, an vero in emtionem venditionem, ſub iſta clauſula, partes conſenſerint,

rint. vid. Thomaſ. *Diſp. de diſtinct. inter empt. & contr. pignor. cap.* 2. §. 33. Dn. Potcgieſſer. *d. tr. Sect.* III. *cap.* 1. §. 8. Dn. de Meiern, Von der Rechtmäſſigkeit des ſechſten Zinß-thalers. §. 16. *& ſeqq.* A quo contrahendi more ut propterea rurſus diſcederent paciſcentes, quia Pontifices eundem deinceps vitio uſurarū negotii infectum eſſe pronunciabant, *cap.* 8. X. *de emt. vend. cap.* 4. X. *de pign.* perſuaderi quidem omnibus haud potuit. At factum inde nihilominus fuit, ut novum conquireretur commentum, cujus prætextu ad creditorem ſortis conceſſæ emolumentum rediret, licet rem debitoris, nec pignoris, nec emtionis, ſub pacto de retrovendendo, titulo teneret. Quem colorem quum emtioni *annuorum reddituum*, ſive Cenſuum, ineſſe obſervatum fuiſſet, vid. Covarruv. *var. Reſ. lib.* III. *cap.* 7. *num.* 2. nullum fere negotium dehinc extitit, quod hujusmodi emtioni, ſi frequentia ſpectetur, palmam præriperet: præprimis, poſtquam Pontifices, ſusque deque habita uſurarum, & annuorum reddituum convenientia, ſuam cenſuum exactioni adjicerent approbationem. vid. Dn. Böhmer. *Jur. Eccleſ. Proteſt. lib.* V. *tit.* 19. §. 48. *& ſeq.* Conf. *ſupra.* §. XV. Enimvero, quum, nec illos juſta petitione deſtitui, res ipſa loqueretur, qui ſimpliciore modo quantitatis uſum, ſub ea conditione, alteri conceſſiſſent, ut pretium ejus vicissim nanciſcerentur (quippe pro quibus pariter titulus ejus, quod *intereſt*, militabat, quam pro iis, qui ex mora debitoris id in judicium deducebant) tandem in univerſum obtinuit, ut conventionibus, quæ moderatam uſurarum ſponſionem continebant, ſive illa antichreſeos, ſive emtionis, ſub pacto de retrovendendo, ſive annuorum reddituum, ſive denique ejus, quod intereſt, nomine conſtituta fuerit, legum civilium accederet præſidium, vid. Blum. *Proc. Camer. tit.* XXXIV. *num.* 94. *& ſeqq.* nec vis obligationis ideo amplius evaneſceret, quod uſurarum conventionalium promiſſione aucta fuiſſet. Dn. Böhmer.

mer, *d. l.* §. 31. 32. Sane uti id obſervantia fori Belgici jam pridem comprobavit; vid. Bugnyon, *de LL. abrogg. lib.* 11. *Sect.* 35. Grot. *Introd. in Jurispr. Holl. lib.* 111. *ſect.* 10. *num.* 27. ita in Imperio Rom. Germ. quemadmodum idem invaluerit, egregie oſtendit Dn. de Ludolff. *Obſervatt. forenſ. lib.* 1. *ſupplem.* 1. *pag.* 398. quando inquit: *Cum antea* (Sc. ante finem ſæculi XVI.) *veneratione ſumma Juris Pontificii, ſtipulatio omnis uſurarum in contractu mutui haberetur pro illicita, & Imperii Leges politicæ ab anno* 1500. *usque* 1577. *ſtatuiſſent tantum modum annuorum redituum, non vero uſurarum: dubium incidebat, an eſſet poteſtas Judicio Camerali, adjudicandi uſuras in contractibus mutui, quæ ſucceſſu temporis venerant in uſum. Decisa tandem quæſtio Imperii nomine, in Receſſu Deputt. Spirenſi, anno* 1600. §. So viel dieſem nach. 139. *junct. Receſſ. Imper.* 1654. §. Anreichend die Kunftigen Zinß/ 174. Et quamvis nonnulli, etiam poſt Receſſum Imp. noviſſimum, contortam illi explicationem addendo, ſuſtinuerint, præter uſuras ex mora debitas, nullas, quantumvis conventione nitantur, in Judiciis Imperii Supremis adjudicari: adeo tamen nervoſe illorum tela repreſſit Dn. de Meiern, *laud. tract.* §. 39. *& ſeqq.* ut is demum, qui veritati demonſtratæ obloqui haud fuerit veritus, quicquam reperire poſſit, quod uſurarum conventionalium objiciat licentiæ.

§. XIX.

At, fuerit licet in ipſa uſurarum petitione generatim conſiderata nihil, quod juſta reprehenſione exagitari debeat, diſſimulandum tamen haud eſt, lubricum id genus quæſtuum eſſe, adeoque præceps, ut, qui non curioſius circumſpexerit, protinus in vitia ruat, quæ in bene conſtitutis ſocietatibus tolerari nec debent, nec poſſunt. Quod ſi enim jure naturæ æquum eſt, neminem cum

al-

omnes ejusdem reipublicæ Christianæ, sub uno capite, Pontifice Romano, collectæ membra esse, contigit, ut singula, quæ de prohibitione usurarum ad Judæos inter se pertinente, in republica Hebraica Theocratica Patres attulerant, diligentius compilarentur, jamque pro certo jure haberi inciperet, Christianis pariter sine discrimine ab usuris esse abstinendum. vid. *C.* XIV. *quæst.* 3. 4. Sane ex illo tempore in eo cum maxime desudasse Episcopos Romanos, ut usurarum nomen, pœna illis apposita, invisum laicis redderent, inde colligere licet, quod, quum tenacissimus Primatus assertor, Leo, vid. Morn. *Myster. iniquit. pag. m.* 141. censuræ ecclesiasticæ quoscunque Christianos ideo subjecisset, *can.* 7. *C.* XIV. *qu.* 4. postmodum, decessorum exemplo animati, Pontifices eousque processerint, ut & antichresin damnarent, *cap.* 1. *&* c. 8. *de usur.* usurariis communionem & sepulturam ecclesiasticam denegarent, *cap.* 2. X. *eod.* nec dispensationem circa usuras permitterent, *cap.* 4. *X. eod.* earum restitutionem injungerent, *cap.* 5. *&* c. 9. *X. eod. cap.* 2. *de usur. in* 6. imo ad usuras referrent, si ob solutionem dilatam, quid carius venditum fuerit, distinctione haud admissa, an usuræ ultro solverentur, *cap.* 10. *X. eod.* aut Judæus illas exigeret, *cap.* 12. *X. eod.* aut jurejurando firmata usurarum promissio esset: *cap.* 13. *X. eodem.* ita ut usuræ ad instar spolii æstimari debeant, *cap.* 14. *&* c. 17. *X. eodem.* usurarii vero inquisitioni subjiciendi sint, *cap.* 15. *X. eod.* nec tolerari a quopiam possint, *cap.* 1. *de usur. in* 6. prohibitione sub excommunicationis pœna ulterius facta, ne usuræ promissæ adjudicarentur. Clem. *un. de usur.* Enimvero, quantis execrationibus etiam prosecuti usuras fuerint Pontifices, tantum tamen abest, ut id, quod in usuris, si reprobari debeant, summam vitii conficit, vel agnoverint, vel exterminare voluerint, ut ex ipsis Decretalibus Epistolis, ac interpretatione Doctorum potius liqueat,

queat, de nomine uſurarum magis fuiſſe certatum, quam de re ipſa, ſive additamento, quod propter uſum ſortis alteri præſtandæ debitor exſolveret. vid. Leyſer. *Meditt. ad ff. ſpecim.* 252. Etſi enim 1) nec ipſi Canoniſtæ diffitentur, id quod *intereſt*, ab uſuris non eſſe alienum: quia tamen illo merum creditoris lucrum haud contineri arbitrantur, minime abnuunt, conſentaneum doctrinæ Pontificum eſſe, ut, qui ratione ejus, quod ſua intereſt, a debitore aliquid recipit, vel petit ultra ſortem, ideo quod nullum lucrum ſit, ſed compenſatio abſentis lucri, vel damni præſentis, quod creditor ob reſtitutionem ſibi non factam ſuſtinuit, is recte idem conſequatur. Caniſ. *tr. de uſur. cap.* 1. *num.* 6. *&* 13. Conf. *cap.* 9. *X. de arbitr. cap. un. X. de plus petit.* adeo ut eousque quoque antichreſin juri Canonico haud contrariari affirmetur. Engel. *Coll. Jur. Canon. lib.* v. *tit.* 19. *§.* 2. *num.* 17. Quo nomine tamen creditoris avaritiæ plus conceſſum, & notiones morales turpiſſima confuſione magis corruptas fuiſſe, quam ſi moderatas uſuras, ſecundum leges civiles, illi accipere licuiſſet, nemini obſcurum eſt, qui cogitaverit, petitionem ejus, quod intereſt, ad quamcunque ſummam poſſe aſcendere. vid. Tabor, *de alter. tant. part.* 2. *art.* 5. Add. ſupra §. 111. *inf.* Neque minus profecto 2) ſimulatæ hujus philoſophiæ documentum in eo proſtat, quod conſtitutio *annuorum redituum* a Pontificibus permiſſa fuerit. Nam, quia ita tantum, *honeſtiore nomine* emtionis, *mutuum uſurarium texerunt, & colorem hunc alleverunt, quod non* uſura, *ſed* merx *vendita ſit, non* acceſſorium, *ſed* debitum principale, *factum, ut rei communi ſub principiis fucatis, fictisque graviſſima vulnera inflicta, debitores vero, non tam rei familiaris naufragium ex* uſuris moderatis, *quam ex* annuis reditibus *perceperint:* prout egregie ſcripſit Dn. Böhmer, *Jur. Eccl. Proteſt. lib.* v. *tit.* 19. §. 51. hinc in oculos incurrit, uſurariæ rei patrocinatos fuiſſe Martinum

CONSILIUM
DE
MODO USURARUM
DISSERTATIO INAUGURALIS

PERILLUSTRI. ET. SPLENDIDISSIMO.

INCLYTÆ.

LIBERÆ. IMPERIALIS. REIPUBLICÆ.
BREMENSIS. SENATUI.

VIRIS.

PERQUAM. MAGNIFICIS. PRÆNOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS. EXCELLENTISSIMIS. CONSULTISSIMIS. GRAVISSIMIS.

DNN. CONSULIBUS.

DNN. SENATORIBUS.

PATRIBUS. PATRIÆ. CONSCRIPTIS. PIIS. FELICIBUS.

LIBERTATIS. AC. SALUTIS. PUBLICÆ.

CONSERVATORIBUS. SAPIENTISSIMIS.

DOMINIS. PATRONIS. MÆCENATIBUS.

MAXIMOPERE. VENERANDIS.

SALUTEM. INCOLUMITATEM. OMNEQUE.
QUOD. BONUM. FAUSTUM. FELIX.
FORTUNATUM. FUERIT.

PRECATUR.

ET.

DISSERTATIONEM. HANC. INAUGURALEM.

EA.

QUA. PAR. ÆQUUMQUE. EST.

VENERATIONE.

SUBMISSE.

D. D. D.

CORNELIUS DE HASE.

PROOEMIUM.

ETſi illa ſeculi, quo vivimus, eſt felicitas, ut nullum fere in voluminibus Legum forenſium offendatur argumentum, cui illuſtrando defuerit præſtantiſſimorum JCtorum induſtria; hincque nonniſi verecundante manu quis ſcriptionem periclitari poteſt, quem non fugit, quam nauſeæ moleſtiam dapes minus opiparæ intuentibus excitare ſoleant: neceſſitas tamen, quam debita Legibus Academicis reverentia mihi attulit, nequaquam permiſit, ut intra caveam me propterea continerem, aut, ſine ſpecimine aliquo ſtudiorum edito, ſummos in utroque jure honores ac titulos conſequerer. Atque hæc ſola eſt, quæ, uti me in medium ad tentandam fortunam projecit, ita hæſitanti eam porro ingeneravit fiduciam, ut, tum meditationes meas prælo committere, tum illam maxime tractationem deligere ſuſtinuerim, quæ de modo uſurarum legitimo concepta rem breviter adumbraret, cujus cognitionem, variis & diſcrepantibus interpretum ſententiis, plurimum fuiſſe

impeditam, evolutio eorundem nimium quantum manifeſtat. Sane enim, ſive vocabulorum, quibus in partibus diſciplinæ Juridicæ explicandis uti oportet, difficultas expendatur, ſive jurium diverſitas, quæ quoties occurrit, toties in contrarias partes animum cogitantis non diſtrahere non poteſt, in hoc profecto themate undique adeo eſt via obſtructa, ut face & viatico indigere videatur, qui ex tot tricis ſe expedire, ac veritatem complecti contenderit. Quare etiam eam a benevolis Lectoribus mihi polliceor gratiam, ut, ſi quædam minus accurate vel plene, quam dignitati materiæ conveniat, expoſita fuerint, id parum exercitato ne imputare velint: præcipue, quoniam tempus, cujus mihi habenda fuit ratio, ut modice facerem, flagitavit, idque tantum indulſit, ut, quum de uſurarum indole, varietate, licentia & modo prius egerim, deinde, quid de legitima earum quantitate, lege ac moribus conſtitutum fuerit, breviter recenſerem. Annuat DEUS cœptis!

DIS-

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE MODO USURARUM LEGITIMO.

§. I.

USURARUM vocabulum à voce *uſus*, & cum ea porro à verbo *utor* profluxiſſe, nemo, credo, reperietur, qui in controverſiam vocaverit. Neque enim tantum ex Priſciano. *lib.* 11. apud Putſch. *pag.* 923. intelligitur, *uſurarum* voce & participium, & nomen deſignari, verum præterea quoque Varro, lib. IV. de L. Lat. affirmat, *ex uſu uſuram dictam, ut ſors, quod ſuum ſit ſorte.* Unde & Iſidor. *Origg. lib.* V. *cap.* 26. inquit: *Uſura ab uſu nuncupata.*

§. II.

Uti autem a vocabulo *uſus* dictæ fuerunt uſuræ, ita initio pariter, vel rerum quarumcunque, vel, quemadmodum ſubtiliter conjicit Parlador. *rerum quotid. Lib.* II. *cap.* 2. *num.* 2. earum cummaxime, quibus proprie quis uti non poteſt, *uſum* ſignificaſſe, monumenta vetuſtatis comprobant. Etenim hoc ſenſu Lucilius cecinit:

——— *Et in uſura omnia poni*
Non magna, proprium vero nil neminem habere.

Eodemque, tum Plautus, *Amphitr. prol. v.* 108. corporis ad alium pertinentis *uſuram* captam commemoravit;

vid. Turneb. *Adverſ. lib.* III. *cap.* 12. tum Accius: apud Nonium, *cap.* 3. dixit: *Hanc poſtremam ſolis uſuram cape.* Neque alia mente Cicero, *lib.* 1. *Tuſcul. quæſt. cap.* 39. ſcripſit: *Natura dedit* uſuram *vitæ, tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die. Quid eſt, quod querare, ſi repetit, cum vult, ea enim conditione acceperas.* Unde & debitor, qui ſorte aliena fruitur, uſuram iſthac ratione capere perſpicitur, quam creditor ipſi conceſſit. vid. Lauterb. *Coll. theor. pract. tit. de uſur.* §. 2. Enimvero, quamvis hæc ſignificatio primum eminuerit, ampliata tamen deinceps notione factum fuit, ut uſuræ pro præſtatione, illi, qui rem tenet, incumbente, frequentius acciperentur. Unde Iſid. *lib.* V. *cap.* 25. inquit: *Uſura eſt incrementem fœnoris. Et* Varro: *lib.* IV. ait: *Compendium, a quo uſura, quod in ſortem accedebat, impendium appellatum.* Conf. Salmaſ. *de uſur. cap.* 2. Quod ſane mirum videri debet nemini, qui quidem rationes, quibus illa tranſlatio nititur, expenderit. Præterquam enim, quod inſolitum Romanis minime fuerit, ut verborum poteſtatem ad ea extenderent, quæ rem plerumque conſequebantur: vid. Perizon. *Reſponſ. ad Kuſter. p.* 786. veluti ita *vectura*, non vectionem tantum, ſed mercedem ejus quoque denotat, vid. Plaut. *Moſtell. act.* 3. *ſc.* 2. *v.* 138. & *mercatura* æque lucrum de merce, quam actum negotiationis complectitur; Noniùs, *cap.* 5. *pag.* 726. præterea ſpeciatim id, quod vocabulo *fœnoris* accidit, permovere facile potuit veteres, ut in uſurarum notione producenda idem quoque efficerent. Nam quia fœnus, teſte Ambroſ. *de Tobia*, *cap.* 12. idem prius valebat, ac ſors, ſive caput, quod ſub uſuris conceſſum eſt, & quaſi *pecuniam increſcente tempore* parit, ceu ait Nonius, *cap.* 1. *pag.* 813. hincque alio vocabulo opus erat, quo fœtus fœnoris deſignaretur, quantitas illa, quæ inde deberi incipiebat, petito ab uſu nomine, uſura fuit appellata: quam ob cauſam Tertull. *adverſ. Marcion.*

cion. Lib. IV. *cap.* 17. uſurum vocat, *redundantiam & fructum fœneris*, ſimilique modo Iſidor. *Lib.* V. *cap.* 25. ait: *Uſura eſt incrementum fœnoris.* Et licet poſtmodum invaluerit, ut *fœnoris* etiam notione id, quod fœnebris pecunia producebat, comprehenderetur, quemadmodum perſpicue indicavit Nonius, *cap.* 5. *pag.* 741. ubi ait: *Fœnus cum uſuris ſumitur, & eſt accepti fœtus, unde & fœnus dictum eſt, ut Græce* Τοκος, *quaſi partus mutui ſumti*, quodque adverſus Salmaſ. *de uſur. cap.* 2. prolixe demonſtrarunt Gronov. *Mantiſſ. Pecun. Vet. cap.* 1. & Noodt, *de uſur. & fœn. lib.* 1. *cap.* 3. neque ſic tamen cauſa defecit, cur uſurarum vocabulum ita ampliandum eſſe exiſtimaretur: ſiquidem, quando quid ex alia, quam fœnoris collocati ratione, præſtandum propter ſortem eſſet, id fœnus nunquam dicebatur, ideoque conſentaneum erat, vocem ſurrogari, qua præſtatio ejusmodi exprimi convenienter poſſet. Vid. Noodt. *d. cap.* 3. *circa fin.*

§. III.

Etiamſi vero *uſuræ* notio hoc modo ab *uſu*, cui res ſubjecta eſt, ad id tranſierit, quod propterea penditur, eoque potiſſimum ſenſu Legiſlatoribus & interpretibus juris innotuerit; tantæ tamen minimæ fuit amplitudinis, ut omnibus promiſcue præſtationibus rei, quam quis poſſidet, nomine debitis convenerit. Quum enim I. non nullæ earum ita fuerint comparatæ, ut illis ſolis, ceu debito principali, aut merce, obligatio poſſeſſoris concluderetur, nec ſors alteri inſuper reſtituenda eſſet, veluti in annuis reditibus vel legatis, vel conventione comprehenſis, ſæpe numero contingit, vid. *L.* 22. *& L.* 38. *ff. de uſ. & uſufr. leg.* Dn. Böhmer. *Diſp. do præſcript. ann redit.* § 2. *num.* 1. ante omnia obſervare oportet, cum ejusmodi præſtationibus *uſuras* minime eſſe

eſſe confundendas: quippe quæ *incrementum*, *L.* 24. *pr. ff. depoſ. additamentum*, *L.* 70. *§.* 1. *ff. de leg.* 11. *L.* 23. *C. de uſur. dati acceſſionem*, *L.* 12. *C. de uſur.* tantum conſtituunt, ideoque ſine ſorte principali debita concipi nequeunt. *L.* 2. *ff. de pecul. leg.* Et quemadmodum II. inter *corpora* & *quantitates* alioquin magna intercedebat differentia; vid. *L.* 2. *pr. & §.* 3. *ff. de reb. cred. L.* 30. *pr. ff. de leg.* 1. ita ad *uſurarum* quoque poteſtatem dignoſcendam peculiariter ea pertinuit: ſiquidem, quæ pro corporum uſu dantur, proprie mercedes, vel penſiones, vel fructus, vel quaſi fructus appellari conſueverunt: vid. *L.* 27. §. 1. *L.* 29. *ff. de hered. petit. L.* 7. *§.* 1. *ff. de uſufr. L.* 13. *C. eod. L.* 19. *ff. pr. L.* 34. *L.* 36. *ff. de uſur.* quum contra *uſurarum* vocabulum nequaquam excederet præſtationes, quæ propter *quantitatem*, ſive ſortem, aut in pecunia numerata, *L.* 3. *C. de uſur.* aut in alia re fungibili, maxime fructibus, vid. *L.* 12. *L.* 23. *C. de uſur.* junct. *L.* 7. §. 1. *ff. de reb. cred.* & *L.* 1. *C. ut nem. lic. in empt. ſpecier.* conſiſtentem, pendenda fuerit. Conf. Beyma, *Comment. ad rubr. Tit. de uſur.* Licet enim in jure non ſit infrequens, ut cum *uſuris* unum alterumve, quod penſitationibus ob uſum corporum accommodatum eſt, commutetur vocabulum, ſicque uſuræ *reditus* dicantur, *L.* 24. *ff. de præſcr. verb. L.* 30. *ff. de adim. leg.* & *mercedi* comparentur, vid. Perſ. *ſat.* 6. *v.* 67. neque *a fructibus* ſeparari dicantur, quorum vicem ſuſtinent, *L.* 34. *ff. de uſur.* & penſiones ſint; *L.* 12. *inſ. ff. eod.* id ex ea tamen maxime cauſa profluit, quod ſpecies præſtationum, quæ uni generi ſunt ſubjectæ, non adeo rigoroſe ſeparatæ inter ſe fuerint. vid. Noodt. *de fœn. & uſur. L.* 1. *cap.* 2. Unde retineri debet, quod Papinianus, *L.* 3. *§. ult. ff. de uſur.* judicavit, ab uſu corporum relicto æſtimationem uſurarum adeo abeſſe, *ut non ſine rubore deſiderentur.* Sane reſtrictioni huic minus adverſari videtur, quæ in *L.* 17. *§. ult. ff. de uſur.*

ſur. L. 25. *C. eodem.* & *L.* 2. *C. depoſ.* comprehenſa eſt deciſio: quandoquidem, ſi diligentius explorata textuum ratio fuerit, manifeſtum redditur, nihil illis ineſſe, quod ad uſuras corporum pertinet: dum, quod Paulus, *d. L.* 17. de uſuris, ob ſtatuas haud poſitas, exigendis aſſeruit, uſuras non ſtatuarum, ſed pecuniæ hereditariæ, qua heres ex teſtamento ſtatuas emere & ponere tenebatur, arguit; ceu luculenter explanavit Ulpianus, *L.* 5. *ff. de oper. publ.* Neque Conſtantinus, *d. l.* 25. aliud decidere voluit, quam, cujus quantitatis uſuras petere liceat, ſi quis mutuum roganti vel aurum, vel argentum, vel veſtem æſtimato dederit, in vicem nummorum: hincque eodem modo quæſtionem definivit, uti in ſimili caſu prius fecerant Dioclet. & Maxim. *L.* 8. *C. ſi cert. pet.* cujusmodi definitio profecto non corporis, verum quantitatis æſtimationem innuit. vid. *L.* 11. *ff. de reb. cred.* Et, quod ex *L.* 2. *C. depoſ.* argumentum petitur, id unice inſinuat, rerum depoſitarum nomine, eo caſu, quo vel deperditæ, vel deterioratæ, vel in depoſitarii uſus converſæ fuerunt, uti æſtimationem peti, ita, quia jam de ſorte agitur, uſuras exigi poſſe. vid. Wiſſenb. *Comm. ad L.* 25. *C. de uſur.* Huber. *Prælect. ad ff. Tit. de uſur. §.* 2. Brunnem. *Comm. ad L.* 2. *C. depoſ.* Atque, ne quis exiſtimet, ſuppoſita ſorte principali, quæ quantitatis vicem ſubeat, *uſurarum* vocabulo reliquas omnes, quæ hoc nomine exiguntur, contineri penſitationes, porro III. notandum erit, ſeparandas illas adhuc eſſe, quæ arbitrio partium, quousque in fraudem legis non ſunt excogitatæ, conſtituuntur, & nulla utilitatis, quam res præſtare poteſt, habita ratione, ob id ſolum, ſi quid factum non fuerit, quod fieri debuit, vel factum fuerit, quod fieri non debuit, tanquam pœnæ præter ſortem exigi poſſunt: Wiſſenb. *Diſp. ad ff.* 42. §. 2. quoniam, quum pœnæ nomine uſura in

jure insigniatur, vid. *L.* 40. *ff. de reb. cred. L.* 90. *ff. de verb. oblig.* hoc eo nititur, quod si ob usum intererptum solvantur usuræ, simulachrum pœnæ repræsentetur. Conf. Lauterb. *Disp. de pœn. convent. cap.* 7. *§.* 37. Imo nec id IV. prætermittere licet, magnam quidem *usurarum*, & ejus quod *interest*, esse convenientiam, verum illa adhuc notione ab eo distingui, quod *usurarum* determinata sit quantitas, quam servare oportet; ex adverso autem illud, quod interest, incertæ sit æstimationis, & *usurarum* modum excedere possit; vid. Carpzov. *Lib.* IV. *Resp.* 50. *num.* 7. *& seqq.* imo & in petitionem nonnunquam ibi deducatur, ubi usurarum exactio locum non invenit. Voet. *Comm. ad ff. tit. de usur.* §. 1. *in fin.*

§. IV.

Neque tamen hæc impediunt, quominus etiamnum late satis pateat *usurarum* significatio. Quod si enim I. ad negotia respiciatur, ex quibus oriuntur, expediti profecto juris est, quælibet, in quibus de quantitate, aut æstimatione alteri præstanda agitur, quæque incrementum ob inter medii temporis commodum, *L.* 82. *pr. ff. de leg.* II. aliave ex causa admittunt, usuras parere. vid. Molinæus, *de commerc. & usur. quæst.* 1. §. 4. Muller. *ad Struv. Exercit.* 27. *th.* 42. Neque II. magis videtur esse obscurum, intra istum modum *usurarum* significationem haud esse coercitam, ut necessario in quantitate ejusdem generis, cujus est sors, ad quam accedunt, consistere debeant. Licet enim nemo negaverit, verum id esse, quotiescunque lege conventionis aliud comprehensum non sit; *L.* 23. *C. de usur.* necdum tamen inde in universum concludi poterit, rerum diversi generis promissionem *usuris* haud convenire. Sane contrarium non tantum asseruit Ambros. *can.* 4. *C.* XIV. *quæst.* 3.

quæſt. 3. dum inquit: *quodcunque ſorti accedit uſura eſt, quod velis, ei nomen imponas, uſura eſt*; verum etiam ex ipſis juris voluminibus idem colligitur: quum, ſi, pro pecunia fœnori accepta ut certa tritici modiatio præſtetur, conventum fuerit, nihil præter modum reprehendatur, *L.* 16. *C. de uſur.* & in alio etiam genere, quam ſors debita exhibet, *uſurarum* conſtitutionem eſſe validam, ex pacto antichretico conſtet: vid. *L.* 11. §. 1. *ff. de pign. & hypoth. L.* 14. *L.* 17. *C. de uſur.* quod ab uſura non differre rei ſubſtantia, recte exiſtimavit & expoſuit Noodt, *de fœn. & uſur. lib.* 2. *cap.* 9. Add. Titius, *Jur. privat. lib.* IV. *cap.* 24. §. 10. Quin imo, ſi ita contrahentibus placuerit, ut ex ſpeciebus æſtimatis *uſuræ* pendantur, *uſurarum titulo ſumma legitima* jure exigitur. *L.* 8. *C. ſi cert.* Conf. *L.* 6. §. 1. *C. de ſecund. Nupt.* Quibus, ſi quis III. adnumeraverit, quam laxo ſenſu *uſuræ* propter *uſum* ſortis præſtari affirmentur, is tanto minus ambiget, varias eiusdem exprimi poſſe imagines. Quamvis enim forte acciderit, ut vel is, qui *uſuras* exigit, ſortis alteri conceſſæ uſu non indigeat, atque lucro magis inhiare videatur, vel is, qui eas præſtat, uſu ſperato excidat, *uſurarum* nihilominus petitioni locus conceditur: cum ſufficiat, rem in medio eſſe poſitam, quæ uſibus humanis inſervire, eosque procurare queat. Hahn. *ad Weſemb. Tit. de uſur. num.* 2. Lauterb. *Coll. theor. pract. eod. Tit.* §. 6. Unde *uſura*, in ſenſu hoc generali, definiri poterit, quod ſit, *acceſſio ad ſortem, ſive quantitatem debitam, eodem maxime genere, ob uſum præſtanda.*

§. V.

At, quamvis ex dictis liqueat, quoties, ſorti debitæ ut incrementum ob uſum accedat, cauſa exiſtit, toties *uſurarum* vocabulum adhiberi ad id deſignandum poſſe: quia tamen pro negotiorum varietate, ex quibus *uſuræ*

profiſcuntur, diverſum illæ recipiunt æſtimationem, ad ſpecies earundem, & natam inde uſurarum definitionem peculiarem porro progrediendum erit. Atque, quum in eis conſtituendis potiſſimum reſpicere oporteat, utrum promiſſæ uſuræ pro uſu ſortis, an citra promiſſionem debitæ fuerint, partitionem *uſurarum* in eas, quæ *in obligatione*, & quæ *in officio judicis* ſunt poſitæ, ceu legibus convenientem, vid. *L.* 64. *pr. ff. Loc. Cond. L.* 58. *pr. ff. ad Trebell.* præcipue ſpeculari conveniet. Cui tamen quoniam proxime accedit altera, propter quam *uſuræ*, vel *ex conventione*, vel *ex mora* deſcendunt, utriusque ſimul rationem habere, &, quæ hinc pendent, ſpecies *uſurarum* recenſere, conſentaneum erit.

§. VI.

Quod itaque ad uſuras *conventionales*, ſive *in obligatione* poſitas, *Primo*, attinet: uti conventionis verbum generale eſt, & ad omnia pertinet, de quibus conſentiunt, qui inter ſe agunt, *L.* 1. §. 3. *ff. de Pact.* quare in pactiones & contractus diſpeſcitur; vid. *L.* 7. §. 1. 2. 4. *ff. de pact. L.* 19. *ff. de novat.* ita quoque *uſuræ conventionales* aliæ ſunt, quæ *ex pacto* originem ducunt, aliæ quæ *ex contractu* debentur. Et quia, quæ in pactis diverſitas obtinet, ut quædam in nudis placiti finibus ſubſiſtant, quædam, ſpeciali obligandi vi munita, præ illis emineant, in *uſuris* pariter conſpicitur; hinc *uſuræ* rurſus vel *nudo pacto* nituntur, vid. *L.* 3. *C. de uſur.* Add. Noodt. *de fœn. & uſur. L.* 3. *cap.* 2. vel facultate agendi inſuper ſunt præditæ, quam illis *legum* ſpeciatim tribuit auctoritas. vid. *L.* 30. *ff. de uſur. L.* 5. §. 1. *ff. de fœn. naut. L.* 12. *C. de uſur. Novell.* 136. *cap.* 4. Hæ autem, quæ ex obligatione contractu comprehenſa deſcendunt, *uſuræ* ita quidem non minus ſeparari poſſent, ut aliæ ad *veros* contractus, aliæ ad quaſi contractus referantur. Sed quoniam

niam uſuræ, quæ extra id quod agitur, ex tacita obligatione naſci dicuntur, vid. *L.* 13. *inf. ff. Commod.* potius uſuris officio judicis, tanquam ob moram ex re commiſſam, adjudicandis accenſeri ſolent: de quibus §. *ſeq.* dicetur, de reliquis, quarum fundamentum in vero contractu aut nova obligatione, uti Pompon. *L.* 121. *ff. de Verb. ſign.* ait, eſt poſitum, hic tantum agere conveniet. In quibus, uti I. diſtinctio obtinet, utrum pacto contractibus *adjecto* tantum promiſſæ; vid. *L.* 24. *ff. depoſ. L.* 5. *C. de pact. int. empl. & vend. L.* 40. *ff. de reb. cred.* an vero inſuper in contractum, maxime *ſtipulationem* deductæ fuerint: vid. *L.* 24. *ff. de præſcr. verb. L.* 3. *C. de uſur.* Ita II. obſervandum eſt, contractus, quibus *uſuræ* accedunt, adeo notabilem earum diviſionem produxiſſe, ut, quæ ex capite mutui præſtandæ ſunt, eas tum Fœnoris nomine extulerint Veteres, ceu Feſtus teſtatur, dum ait: *Nummorum fœtus fœnus eſt vocatum;* tum pro uſuris peculiari ſenſu habendas, & ſpeciatim definiendas eſſe communiter cenſuerint interpretes: licet in genere harum uſurarum conſtituendo ut plurimum in diverſa rurſus diſtracti fuerint. Quapropter non abſonum fore videtur, ſi *uſura*, reſtrictione ad mutui contractum facta, ita definiatur, quod ſit, *acceſſio ad ſortem, ſive quantitatem mutuo conceſſam, eodem maxime genere præſtanda.*

§. VII.

Cum his autem *uſuris*, ex conventione debitis, quia minime confundere eas licet, quæ *officio judicis* continentur, de hiſce ſciendum eſt, quod non nulli DD. qui uſurarum debitum in illis etiam ſortis reſtitutionibus deprehenderunt, in quibus fruſtratoria dilatio vixdum conſpicitur, inter *moram* & *æquitatem* diſtinxerint; vid. Lauterb. *Coll. theor. pract. Tit. de uſur.* §. 13. alii vero ad *moram* & *converſionem in uſus* proprios reſpexerint. vid.

Struv. *Exercit.* 27. *th.* 43. Enimvero magis illorum mihi placet ſententia, qui *moræ* vocabulum ſufficere arbitrantur, & ad omne dubium tollendum, inter *moram ex perſona* & *ex re* ortam diſcrimen ſtatuunt. Quod ſi enim injuſtè quis ceſſaverit, debitum exſolvere, cujus nomine interpellatus fuerat, propter moram ex perſona commiſſam, ad *uſuras* officio judicis non minus adſtringitur, quam ad ipſius ſortis præſtationem. vid. *L.* 4. *C. depoſ.* Quod ſi vero & alia cauſa adfuerit, quæ judicem ad id permovet, ut in re moram eſſe decernat, vid. *L.* 23. *§.* 1. *ff. de uſur.* veluti in quaſi contractibus, & ob favorem perſonarum, &c. contingit, jam *uſuræ* exiſtunt, quæ ob moram *ex re* oriantur. Conf. Voet. *Comment. ad ff. tit. de uſur.* §. 27.

§. VIII.

Quandoquidem vero præter has, quas expoſui, *uſurarum* diviſiones, aliæ emerſerunt, quibus admiſſis conditio earundem maximopere convertitur, res poſtulat, ut, quantum ſingulæ valeant, in apertum referatur. Quod dum expedire contendo, examine cum primis digna videtur, quæ occaſione *annuorum redituum*, & ejus, quod *intereſt*, agitari conſuevit controverſia. Etſi enim præſtationes hinc enatas plerique ab *uſuris* ſollicite ſeparant; quidam tamen ex adverſo ad unam eandemque claſſem cum his pertinere affirmant, hincque, *uſurarum palliatarum* elogio addito, illas pro ſpecie earundem venditare haud verentur. In quo ſententiarum conflictu, quoad annuos reditus, in univerſum attendendum eſſe exiſtimo, qua ex cauſa proceſſerint. Quod ſi enim eo pacto Dominus rem ſuam in alium transtuleric, ut is inde annuatim vel ſibi, vel tertio certos reditus exſolvat, negari utique nequit, manifeſtam eorum & uſurarum prominere diſcrepantiam, quamvis redi-

redimendi facultas erga certam quantitatem conceſſa fuerit : ſiquidem ſors nullo caſu interceſſit, cujus ob uſum præſtatio redituum fieret. vid. ſup. §. 111. *num.* 1. Conf. Dn. de Ludolf *Jur. Cameral. auctar.* IV. *verſ. ult.* Quod ſi vero pro ſorte, ſive pecuniæ numeratæ quantitate quis annnos reditus, aut cenſus, qui vel ſimpliciter, vel certis conditionibus redimi poſſunt, ſibi comparaverit, ſive perſonales, ſive reales, ſive mixti demum fuerint, vid. Voet *Comm. ad ff. Tit. de rer. diviſ.* §. 24. contrarium dicendum erit : quoniam, qui hujusmodi reditus ſtipulatus eſt, reapſe nihil intendit aliud, quam ut uſuras, quæ pro uſu ſortis acceptæ præſtari debent, alio verborum cortice involutas, eousque conſequeretur, donec ſortem receperit. vid. Dn. Böhmer *Jur. Eccl. Proteſt. lib.* V. *Tit.* 19. §. 24. Quamobrem egregie Jac. Curtius, *Conject. Lib.* 3. *cap.* 29. inter alia ait: *Hoc, quod res habet, per ſe & ſine perſona ſpecta. ſuam da rebus faciem. Das argentum & recipis. Et recipis, non ut de ſorte vel nummum decidas, ſed ut ſors integra tibi & ſalva maneat, & debitorem tuum & heredes ejus vectigales habeas, donec refuſa ſorte perpetuam iſtam pendendi & in ſe quotannis redeuntem neceſſitatem redimant.* Conf. *Franzk. Exercit.* 9. *quæſt.* 8. Unde quoque procul dubio eſt, quod, quoties populi Germanorum lingua utentes uſuras nominare voluerint, eas Cenſus, Zinſen vocitent. vid. Wehner. *theſaur. pract. vocab.* Zinß. Nec aliter II. formanda erit deciſio quæſtionis, quæ propter id, quod *intereſt*, a DD. movetur. Nam, utut id ab *uſuris* ipſe *ſupra* §. 111. *num.* 4. ſejunxerim ; certum tamen eſt, quod, quoties in eo, quod pro uſu ſortis penditur, illius quod creditoris intereſt, habetur ratio, vid. *L.* 60. *pr. ff. pro ſoc.* toties ſub eo *uſuræ* latitent : quantumvis licet, qui uſurarum nomen inviſum nimis eſſe opinantur, quam quo uti liceret, creditori *id*, *quod intereſt* tantum adſcripſerint. De quo dubitari tanto minus poterit, quoniam,

niam, uti in LL. Imper. Germanici nihil eſt frequentius, quam ut vocabulum *intereſſen*, loco *uſurarum* occurrat; ita notanter Huber. *prælect. Tit. de uſur.* §. 2. ait: Præter vocabulum *Intereſſen*, *vix aliud eſt vocabulum*, *quo exprimantur uſuræ populariter.* Add. Dn. de Meiern. Von der Rechtmäſſigkeit des ſechſten Zinß-thalers. §. IV. *in fin.*

§. IX.

Quæ quum ita ſe habeant, nunc porro animadvertendum erit, *uſuras*, propter diverſitatem in ſuſtinendo periculo ſortis conceſſæ conſpicuam, optima quoque ratione diſtingui in *ordinarias*, & *extraordinarias.* Quippe expediti quidem juris eſt, ſortis periculum communiter eſſe penes accipientem, *L. ult. C. de naut. fœn.* hincque in uſura nihil æſtimari, niſi uſum ſortis. vid. Titius, *Jur. priv. Lib.* IV. *cap.* 21. §. 20. Enimvero id neutiquam eo usque extendere oportet, ac ſi partibus eapropter vetitum ſit, ne periculum ſortis ſpeciali pacto in creditorem transferatur, eoque caſu, præter uſum ſortis, periculum etiam in uſuris exigendis conſideretur. Uti enim ejusmodi pactum in jure non eſt incognitum; vid. Paul. *Recept. ſent. Lib.* 2. *tit.* 14. §. 3. *L.* 1. *C. de fœn. naut.* ita ejus licentiam luculentius expoſuit Noodt, *de fœn. & uſur. Lib.* II. *cap.* 7. Ex quo cauſa prodiit idonea, cur prior *uſurarum* ſpecies *ordinaria*, altera vero *extraordinaria* appellaretur. Sed an idem de pervulgata uſurarum diviſione in *punitorias*, *lucratorias*, *& compenſatorias*, ſit ferendum judicium, jure meritoque dubitatur. Etiamſi enim pœnæ nomen *uſuris* ob moram præſtandis in jure adhæſerit; vid. ſupra §. 3. *n.* 3. id tamen diſtinctam *uſurarum punitoriarum* ſpeciem necdum efficit: quoniam, *ſi pœna moræ ſit propter damnum illatum aut lucrum ceſſans*, *eſt compenſatoria: ſin*

ſin aliter, eſt lucratoria, veluti fatetur Huber. *Prælect. Tit. de uſur.* §. 3. Neque enim ex diſcrimine, quod inter *uſuras lucratorias* & *compenſatorias* Grammatica notio poſuit, ſequitur, diverſo illas propterea jure cenſeri. Nam, ſi cui compenſatoriæ uſuræ debentur, is lucrum non minus, quam id, quod abeſt, usque ad legitimam quantitatem adipiſcitur. vid. *L.* 13. *pr. ff. Rat. rem hab.* Nec *lucrum* abſolute conſideratum, aut omne ſine diſcrimine, in cauſa eſt, quare compenſatoriis uſuris opponantur lucratoriæ; verum illud duntaxat ejus eſt conditionis, quod ſine injuſtitia aut opprobrio exigi à debitore nequit. Quamobrem convenientius fore exiſtimo, ſi, abſtrahendo ab hac diviſione, *uſuras in licitas & illicitas* eo conſilio diſtinxerim, ut *licitæ* ſint, quæ intra juſtum, aut legibus convenientem conſiſtunt *modum*, *illicitæ* autem illæ demum dicantur, in quibus ejusmodi reperitur exeſſus, qui uſuram in *fœnus* improbum transmutat, vid. *L.* 4. *ff. de fœn. naut. L.* 20. *C. ex quib. cauſ. inf.* & a Germanis Wucher, appellari ſolet. vid. Wehner. *Theſ. pract. vocab.* Wucher. Quemadmodum enim uſurarum diviſionem hoc modo concipiendam eſſe, monuit Thomaſ. *ad Strauch. Jus Juſtin. Diſſ.* 18. *th.* 13. Add. Voet. *Comm. ad ff. Tit. de uſur.* §. 4. ita eadem inſtituto meo perficiendo quam maxime eſt accommodata: utpote quæ opportunitatem mihi largitur, quousque licitæ *uſuræ* dici queant, inveſtigandi, hincque modum eruendi, quem in determinatione earum obſervare oporteat.

§. X.

At fruſtra, inquiet aliquis, finibus *uſurarum* regundis opera impenditur, quum omnes ita ſint comparatæ, ut, celebriorum ſcriptorum judicio, non longe recedant a ſcelere. Neque diffiteor, id ſi in confeſſo, aut

concludentibus argumentis demonſtratum fuerit, ad ineptias quemvis abire, qui in re flagitioſa inſignitas juſtitiæ notas quæſiverit. Enimvero tantum abeſt, adeo jam eſſe conclamatum, ut multo convenientius affirmari poſſe videatur, *uſuris* per ſe nihil ineſſe, cui juris vel æquitatis refragetur ratio, ac perperam agere, qui vel nominis odio, vel ob notata alicubi fœneratorum vitia, acceſſionem innocuam ſine diſtinctione infamaverint. Sane enim, etſi rationi naturali congruit, ut quilibet alterius neceſſitatibus ſubveniat, nec petenti beneficium deneget; eadem non minus comprehenditur, ut, qui rei alienæ uſum accepit, ideo gratiam concedenti rependat. Quod ubi ſuppoſitum fuerit, illico manifeſtum redditur, injuſtas haud eſſe *uſuras*, quibus officium, quod aliena meruit beneficentia, cumulate perſolvitur. *Ingratus eſt*, inquit Seneca, *Epiſt.* 81. *qui beneficium reddit ſine uſura. Itaque hujus quoque rei habebitur ratio, cum conferentur accepta & expenſa.* Et acerrimus alioquin uſurarum oppugnator Molina, *de Juſt. & Jur. tom.* 11. *Diſp.* 305. *num.* 3. fateri cogitur: *Uſura* (ſc. reprobata) *non eſt poſita in eo, quod accipiatur aliquid ex gratitudine ac liberalite mutuatarii, gratificari volentis mutui beneficium, quod non ſolum facere licite poteſt, ſed etiam facere tenetur ex quadam morali honeſtate.* Neque effugio hic locus eſt, ac ſi illæ ideo innocue tantum percipiantur *uſuræ*, quæ ab eo, qui liberalitatem exercere & vult, & poteſt, profluxerunt; eodem autem præſidio firmari reliquæ nequeant, quæ, ad inſtar debiti, invitis etiam extorquentur. Quippe quum, poſt diſtincta rerum dominia, quilibet rerum ſuarum uſu ita ſit præditus, ut aliis in easdem nihil juris competat; vid. *L.* 21. *C. Mand.* ipſa æquitas dictitat, quod, ſi quis in ſorte aliena præſtanda moram commiſerit, vel eadem ſuum commodum auxerit, is eo nomine perinde, ab ob ſortem, domino teneatur: *quoniam, dum*

uſus,

uſus, ad quam res conditione ſui deſtinata eſt, veluti elegánter ait Molinæus, *tr. de eo, quod intereſt, num.* 10. domino abfuit, debitori autem patuit, minus profecto ſolveretur, niſi interuſurium una cum ſorte repræſentatum fuerit. Ex quo nullo negotio colligitur, uſuras, quæ *ob moram*, vel *ex perſona*, vel *ex re* contingentem exiguntur, tales eſſe acceſſiones, quales, ut creditori rei obveniant, ratio imperat. Imo nec aliud quoque de *uſuris* ex *conventione* præſtandis aſſerere opus eſt, modo non ex opinione, ſed ex veritate, quæſtio æſtimata fuerit. Nimirum, quum, qui ſortem tenet, ex cujus uſu lucrum parari poſſit, eam alteri ſub uſuris permittit, ideoque ſortem tradit, ſine alterius certe injuria reſervare ſibi valet, ut in locum commodi, quo ſe abdicavit, uſuræ capiat incrementum: quandoquidem is, qui ita uſuram accipit, nihil aliud accipit, quam quod ad penſandum uſum pertinet, nec injuſtus propterea eſt, quia non, quod alterius ſit, conſequitur, ſed quod ſuum eſt, ſive pretium uſus, beneficio ſuo conceſſi. Conf. Noodt *de fœn. & uſur. lib.* 1. *cap.* 6. Quare non magis etiam disquirendum erit, utrum debitor ex uſu ſortis lucrum actu perceperit, quam, an creditor, quia ſorte interim, dum penes alium erat, haud indiguit, lucrum magis captaverit. Nam ſcrupulo priori optime occurrit Voet. *Comment. ad ff. tit. de uſur.* §. 4. quando ait: *Spem ſæpe incertam certo acquiri pretio, jus naturæ & leges permittunt; nec aliud certa paciſcuntur mercede coloni, quam incertum fructuum naſciturorum proventum; non aliud niſi ſpem fallacem, qui jactum futurum retis a piſcatore emunt, aut indaginem plagis poſitis a venatore, ad pretium præſtandum & tunc obſtricti, cum nihil omnino, aut parum interceptum eſt.* Quoad poſterius autem dubium notare ſufficit, quod nec invidere lucrum is creditori debeat, qui ejus beneficio ſe adjuvari cognovit, nec quæſtionem verecunde obmovere poſſit, quibus uſibus

creditor ſortem, ſi apud eum perſiſteret, fuiſſet impenſurus: quandoquidem æquatio juris in medio ſemper poſita manet, & flagitat, ut uſus accepti tribuatur compenſatio. Conf. Salmaſ. *de fœn. Trapezit. lib.* 1. *p.* 53. *& ſeqq.*

§. XI.

Equidem minimum me fugit, quam magno plurimi apparatu egerint, ut ratiociniis ſubtilioribus, ex ſortis aut pecuniæ natura productis, ei contrariam uſurarum oſtenderent indolem: veruntamen, uti illis jam pridem ſatisfecerunt Salmaſ. *de uſur. cap.* 8. *& ſeqq.* & Noodt, *de fœnor. & uſur. lib.* 1. *cap.* 4. *& ſeqq.* ita tanti non ſunt, ut prolixam diſcuſſionem porro exigant. Etenim, quod I. objici ſolet, pecuniam rem ſterilem eſſe, quæ ex ſe parere queat omnino nihil, nec animam habeat, nec vegetationem, ceu loquitur Vacuna, *Nov. declar. lib.* 1. *cap.* 14. hincque à fructibus *uſuras* longiſſimo intervallo disjungi, id ſuapte ſponte concidit argumentum, ſi populari licet trutina examinatum fuerit. Quippe & domus & ædificium res per ſe ſteriles ſunt, atque, quum mercedem interveniente locatione præbeant, non fructus, ſed id, quod *loco fructuum* eſt, producere dicuntur. *L.* 29. *ff. de petit. hered.* Quare non ſecus ex ſorte *uſura* percipitur, quam ex uſu corporum conceſſo merces generatur. Ziegler. *Diſp. de Mohatra. §.* 16. Conf. Grot. *de Jur. bell. & pac. Lib.* 11. *cap.* 12. *§.* 20. 21. Sicque nihil vetat, quominus optime hæc conveniant: *uſuram* non eſſe in fructu, quia non ex ipſo corpore, ſed ex alia cauſa eſt, *L.* 121. *ff. de Verb. ſignif.* neque natura eam provenire, *L.* 62. *ff. de rei vind.* & tamen vicem fructuum obtinere, *L.* 34. *ff. de uſur.* eoque ſenſu pecuniam non eſſe ſterilem: *L.* 3. *§.* 4. *ff. de contr. tut. act. L.* 7. *in ff. de uſur.* ſiquidem, uti domus aut navis, ita pecuniæ videtur

detur facta eſſe locatio, parique ratione *uſura* cum mercede commutatur. *L.* 14. *C. de uſur.* Cui nequicquam II. adverſatur, quod Hotomann. *de fœn. cap.* 3. urget, pecuniam ad uſum aliquem non eſſe diſpoſitam, ſicut agrum vel domum, ſed ad pretium emendi vel vendendi: quandoquidem id falſum eo caſu eſt, quo quis ipſe emere vel vendere non vult, & alteri id facere volenti pecuniam mutuam ſubminiſtrat, quum ita pro uſu pecuniæ ſuæ conceſſo æſtimationem jure exigat. Et quamvis III. paulo ſpecioſius ſit, quod obvertitur, in corporibus, quorum conceſſio mercedem operatur, valorem uſus diſtingui à valore rei ipſius, verum in pecunia numerata, cujus uſus conſiſtit in abuſu, idem non eſſe; ideoque corporis locati uſum quidem transferri ad conductorem, minime autem ipſam proprietatem: quum contra, pecuniæ uſu conceſſo, ejus dominium ſimul accipienti acquiratur: necdum tamen *uſurarum* fundamentum ideo ſubvertitur. Uti enim, ſi valor ſpectatur, egregie Grotius, *d. l. num.* 2. ait: *Jus illud, non niſi poſt tempus certum reddendi pecuniam aut vinum, eſt aliquid æſtimabile: Minus enim ſolvit, qui tempore minus ſolvit: Atque ideo in antichreſi uſus pecuniæ cum fructibus compenſatur;* ita quoque diſtractio, vel abuſus pecuniæ uſum ejus nequaquam exhaurit: utpote qui conſpicuus ad huc eſt in uſu rerum, quæ pecunia comparantur. Ziegler. *d. l.* §. 17. Neque dominii pecuniæ tranſlatio ad id pertinet, ut creditor minus, ſed ut æque, ac corporis locator, mercedem habeat: ſiquidem debitori is concedit dominium uſus cauſa, & jus crediti in eodem, aut convento genere repetendi, vice dominii retinet; ita ut non tam ex alieno, quam potius quaſi ex ſuo utilitatem percipiat, quia *æs ſuum* eſt illius, cui alii id debent. *L.* 213. §. 1. *ff. de Verb. ſignif.*

§. XII.

Sed, quicquid ejus rei ſit, longe graviore niſu obſtare *uſuris* videtur, quæ illibata ſervanda eſt, S. Codicis auctoritas. Quicunque enim veteris fœderis capita ſcrutatus fuerit, illi in dubium venire nequit, Deum Opt. Max. graviſſime non tantum inculcaſſe, ut ne quis contraheret manum ſuam, ſi mutuum frater ejus petierit, qui in paupertatem inciderat; *Deut.* XV. 7-11. verum etiam præciſe vetuiſſe, ne, quum mutuum fratri ſuo quis dederit, *uſuram ullius rei, quæ in uſuram datur*, ideo illi imponeret. *Exod.* XXII. 25. *Deut.* XXIII. 19. Imo, uti ad peregrinum ac inquilinum hæc extenditur prohibitio; *Levit.* XXV. 35. 36. ita & generatim viri juſti eſſe conſtat, ut pecuniam non exponat fœnori, *Pſalm.* XV. 5. nec uſuram accipiat. *Ezech.* XVIII. 13. 17. Cujus ſanctionis perpetuitatem ſi quis eo colore impugnare velit, quod ad leges Divinas forenſes illa pertineat, quarum obligatio poſt excidium reip. Judaicæ ſublata ſit, is profecto, qui ſuſpicione piaculi ſuam liberet ſententiam, videat! Etenim temere aſſeritur, legibus, quas ſapientiſſimus Legiſlator morum pravitati oppoſuit, Chriſtianos haud amplius teneri, prout egregie expoſuit Dn. Böhmer. *Jur. Eccleſ. Proteſt. Lib.* IV. *tit.* 14. §. 51. 52. Idque tanto minus in hac quæſtione fieri poteſt, quum ambigi nequeat, ſanctiſſimum Salvatorem legis vetuſtæ ſenſum repetiiſſe, quum mutuum ita dari voluerit, ut nihil inde ſperetur. *Luc.* VI. 35. Enimvero jam dudum conjecerunt viri eruditi, regulam lege divina præſcriptam adeo amplum haud admittere ſenſum, ut, omnes promiſcue *uſuras* voluntati divinæ repugnare, neceſſario ſtatuendum ſit. Quamvis enim admitti haud poſſit interpretum quorundam opinio, quaſi improbatæ unice uſuræ fuerint *mordentes*, quibus Hebraicum

Ne-

Neſchech conveniat; vid. Salmaſ. *de mod. uſur. cap.* 8. *pag.* 318. *& ſeqq.* ex ipſo tamen legum divinarum contextu patet, peculiaribus, atque ejusmodi rationibus *uſurarum* niti vitioſitatem, quæ uſum earum in univerſum minime excludant. Quippe, quum legi Divinæ naturali nihil magis ſit congruum, quam ut opem indigentibus ac quam maxime neceſſariis ſuis, ferant, qui conſtitutam inter homines ſocietatem evertere nolunt, arctius procul dubio adſtringere id charitatis præceptum Legiſlator voluit, ne vel mutui denegatione, vel uſurarum exactione acerba, graves tribulibus, ac ejusdem fortunæ ſociis, eſſent Hebræi, quibus, inopia temporaria oppreſſis, tenui pecunia erat ſubveniendum. Quales uſuras, ceu officio viri probi & Chriſtiani contrarias, hodieque nunquam non reprobandas eſſe, nemo inficiabitur: ita ut tum ab illis, tum ab aliis *uſuris*, quæ fœnus improbum redoleant, juſtus abſtinere omnino debeat. Enimvero quibuscunque *uſuris* eam a Legiſlatore haud aſperſam fuiſſe labem, vel illud indicio eſſe poteſt, quod dationem mutui ſub uſura minime is vetuerit, quoties cum extraneo res eſſet: *Deut.* XXIII. 19. quandoquidem ea indulgentia locum non inveniſſet, ſi uſurarum tractatio per ſe turpitudinem involveret, Deoque indiſcriminatim inviſa eſſet. vid. Becmann. *Annott. ad Grot. de J. B. & P. L.* II. *cap.* 12. §. 20. Cui ne obſiſtat extenſio ad peregrinos & inquilinos facta, notandum eſt, reſtricta notionis vi, peregrinos ſolum fuiſſe deſignatos, qui, quia Proſelyti Juſtitiæ erant, parili cum Hebræis jure utebantur. Selden. *Jur. Nat. & Gent. lib.* VI. *cap.* 10. Atque ita Chriſtus legem vetuſtam memoravit, ejusque declaratione ſubjecta manifeſtiſſime patefecit, quemadmodum quemvis oporteat, ſi cui egeno pecunia mutua opitulari queat, ei ſe paratum, & facilem præbere, quamvis nihil, ſive de ſorte, ſive de uſuris agatur, inde ſperaverit. Vid. Wiſſenb. *ad ff. Diſp.* 42. *th.* 3. Noodt.

de fœn. & uſur. lib. 1. *cap.* 11. Ex quo tamen *uſurarum*, quas ſortis elocatio in commerciis, & negotiationibus admiſſa producit, eo minus inferre licet flagitium, quum ipſe Salvator in parabola ſervum reprehenſione digniſſimum judicaverit, qui pecuniam ſibi traditam ad menſam non dederat, quam Dominus cum fœnore reciperet. *Matth.* XXV. 27. *Luc.* XIX. 23. Conf. Voet. *Diſpp. Theol. vol.* IV. *Diſp.* 1. *&* 2. *de uſur.*

§. XIII.

Quum igitur Legiſlatores ſalva, quæ legibus divinis debetur, reverentia permittere *uſurarum exercitium* ſubditis potuerint, a quibus improba abeſſet exactio, quid Romano jure circa id ſancitum ſit, porro enucleare, atque, ne ordo negligatur, eo nomine de uſuris *conventionalibus*, aut in obligatione poſitis, primum, tum vero de iis, quæ ex *officio judicis*, ſive ex mora, deſcendunt, agere referet. Sane uſuras conventionales, quamvis initio ab omni forte fœnore abhoruerint Romani, vid. Appian. *de bell. civil. Lib.* 1. antiquiſſimis modo Reip. temporibus viguiſſe, inde patet, quod de Servio Tullio prolixe teſtetur Dyonyſ. Halicarn. *Antiq. Rom. Lib.* IV. *pag.* 216. quemadmodum, gratiam populi ut captaret, legem illi promiſerit, qua fœneratorum comprimeretur acerbitas. Idemque luculentius adhuc declarat, quæ de unciarii fœnoris licentia in LL. XII. Tabb. extat diſpoſitio. vid. Salmaſ. *de fœn. Trapez. præf.* vid. J. Gothofr. *font. jur. civil. Lib.* V. *Annott. ad tab.* 3. Equidem contigit poſtmodum, ut, quia *multiplici jam ſorte exſoluta, mergentibus ſemper ſortem uſuris, obrutos ſe fœnore eſſe*, debitores clamabant, uti ait Livius, *Lib.* VI. *cap.* 14. perlata a M. Duillio, & L. Mœnio, Tribunis plebis, rogatione cohiberetur fœnoris licentia: vid. Liv. *Lib.* VII. *cap.* 16. *&* *cap.* 27. Tacit. *Annal. Lib.* VI. *cap.* 16. imo & in univerſum *verſura* ita vetaretur, ceu Tacitus, *d. l.* ait,

ait, ut L. Genucius rogationem ferret, *ne fœnerare liceret.* vid. Liv. *lib.* VII. *cap.* 42. Veruntamen neque hiſce legibus, neque inſecuta lege Sempronia, quæ cum ſociis, ac nomine Latino, pecuniæ creditæ jus idem, quod cum civibus Romanis, eſſe voluit, vid. Liv. *Lib.* XXXV. *cap.* 7. obtineri potuit, ut fœnoris exactio remitteret, quum in dies id creditores agerent, ut legum eluderent arte efficaciam. vid. Tacit. *d. l.* Quare deinceps illi, quibus legum aut rogandarum, aut ferendarum cura, atque auctoritas erat concredita, eo potius conſilia ſua direxerunt, ut, permiſſo *uſurarum* incremento, talis illis modus conſtitueretur, qui cum æquitate & civili ſalute conciliari poſſet: ita ut, ne quisquam ſine ſufficiente cauſa præter ſortem obligaretur, diſtinctio ſaltem fieret, quanam conventionis ſpecie is nitatur, qui *uſuras* in actionem deduxerit. Quod ſi enim I. *pactum nudum* de præſtandis uſuris interpoſitum fuiſſet, nullius id, quoad obligationem civilem, propterea erat momenti, quia ex pacto nudo actio non naſcitur: vid. Paul. *Rec. ſent. lib.* II. *tit.* 14. §. 1. quamvis ex pacti conventione ſolutæ uſuræ, ob vim obligationis naturalis, neque ut indebitæ repetantur, neque in ſortem accepto ferendæ ſint. *L.* 3. *C. de uſur. L.* 5. §. 2. *ff. de ſolut.* Unde nec *uſurarum* exactioni inde colorem quærere licebat, quod aliquando ex conſenſu præſtitæ fuiſſent: quandoquidem ea præſtatio in futurum obligare nequit. *L.* 28. *C. de pact. L.* 7. *C. de uſur.* Nam, etſi frequens ac diuturna præſtatio rei, ad cujus conſtitutionem præter conſenſum nihil requiritur, in futurum quoque obligationem operari valet; vid. *L.* 1. *C. de fideicomm. L.* 20. *C. de agric. & cenſ.* eo tamen effectu haud eſt prædita, ſi conſenſus nudus, aliunde vim nullam habens, ad inducendam obligationem inutilis fuerit. vid. Noodt, *de fœn. & uſur. Lib.* III. *cap.* 1. Neque opus eſt, ut ab hac ſententia quis ſe dimoveri patiatur, quia

Papin. *L.* 6. *ff. de uſur.* ſolvendas uſuras eſſe judicavit, quæ longo tempore fuerint præſtitæ, quum veritati admodum ſit conſentaneum, JCtum *uſuras* ſuppoſuiſſe, quæ ex ſtipulatu debitæ fuerant, & quarum nomine dubium inciderat, utrum ex ſorte proceſſiſſent, in rem patris ita verſa, ut peti ab herede poſſent. Conf. Voet. *ad ff. tit. de uſur.* §. 13.

§. XIV.

Et quamvis II. in contentionem haud venerit, conventiones, *uſurarum* ob cauſam initas, aliam mereri conſiderationem, ſi promiſſio earum intra nudi pacti terminos non ſubſtitiſſet, ſed contractui, ex quo ſors debetur, per pactum in continenti adjectum fuiſſet appoſita; vid. *L.* 13. *C. de Pact.* ideo tamen in uſuris promiſſis adjudicandis necdum omnis ſublata fuit differentia. Sicuti enim veri admodum eſt ſimile, quod Noodt, *de fœn. & uſur. L.* 111. *cap.* 5. *inf. & cap.* 6. item *de pact. & tranſact. cap.* 11. *in f.* aſſeruit, initio & ante conſtitutiones Impp. potiſſimum D. Pii, uſuras ex pacto civiliter peti nullatenus potuiſſe, cuicunque etiam contractui adjectum id fuerit: ſiquidem uſuræ, niſi in ſtipulationem deductæ, aut ex obligatione nova non debentur; *L.* 24. *ff. de præſcr. verb. L.* 3. *C. de uſur. L.* 121. *ff. de Verb. ſignif.* ita nihil eſt, quod legibus juris civilis magis conveniat, quam poſt illa quoque tempora, quibus pacta contractibus adjecta, æque ac contractus, civiliter obligare coeperunt, diſtinctionem fuiſſe ſervatam, quali contractui promiſſio uſurarum acceſſerit. Sane, quum contractus bonæ fidei cauſſam promiſſioni dediſſet, jam quidem porro haud dubitabatur, quin pactum adjectum ad formandam actionem ſufficeret: *L.* 7. §. 6. *ff. de pact.* utpote quo lex contractui appoſita continetur,

L. 24.

L. 24. *ff. depoſ.* atque actio ex contractu deſcendens adeo afficitur, ut, ſi uſuræ pacto comprehenſæ fuerint, earum perinde ac ſortis haberi debeat ratio. *L.* 5. *C. de pact. int. empt. & vend. L.* 26. §. 1. *ff. depoſ.* At, ſin in contractu ſtricti juris verſati fuiſſent paciſcentes, tantam promiſſioni uſurarum, pacto adjecto comprehenſæ, haud tribuerunt JCti Romani efficaciam, ut effectum agendi, quem in contractu bonæ fidei ſortiebatur, conſequi poſſet. vid. *L.* 17. *pr. de pact. L.* 11. §. 1. *ff. de reb. cred. L.* 99. *pr. ff. do Verb. oblig.* Nam, licet permulti acerrime inſtent, pacta contractibus ſtricti juris in contienti adjecta eis ineſſe credi; *L.* 40. *ff. de reb cred. L.* 135. §. 2. *ff. de Verb. oblig.* illa tamen ſententia ab aliis non ſine cauſa exploditur: vid. Dn. Otto, *Theſ. Jur. Rom. tom.* v. *Præf. pag.* 20. imo nec, ſi admittenda alias eſſet, validitati promiſſionis, quoad uſuras pactitias, quicquam adiicit, quoniam eo usque minime extenditur, ut ea ſimul complecteretur, quæ ſtipulationis quantitatem augeant. vid. *L.* 1. §. 1. *ff. de verb. oblig.* Noodt, *de pact. & tranſact. cap.* 12. Quamobrem, ſi aliquando III. de hoc rigore remiſerunt Legiſlatores & interpretes, facile perſpicitur, non adjectioni pacta valorem debere, ſed peculiari legis præſidio, quo uſurarum promiſſio legitimis conventionibus nonnunquam fuit inſerta. vid. *L.* 6. *ff. de pact.* Atque, quum deinde obtinuerit, ut pacti *legitimi* virtutem ejusmodi uſurarum conſequeretur promiſſio, quæ vel civitati præſtandæ erant, *L.* 30. *ff. de uſur.* vel argentariis, *Nov.* 136. *cap.* 4. vel in fœnore nautico, *L.* 7. *ff. de naut. fœn.* vel in mutuo frumenti aut hordei, *L.* 12. *C. de uſur.* protinus patet, quare Paulus, *d. l.* 7. ſcripſerit, in *quibusdam* contractibus etiam uſuras deberi, quemadmodum per ſtipulationem: nimirum, quia effectus agendi enumeratis conventionibus, ſpeciali legis beneficio, acceſſit. Conf. Noodt, *de fœn. & uſur. lib.* III. *cap.* 2. Dn.

Böhmer, *Jvr. Eccleſ. Proteſt. lib.* v. *tit.* 19. §. 16. Quod ſi autem IV. in contractum ita tranſiiſſet conventio, uſurarum nomine concepta, ut interrogatione, ſive ſtipulatione præcedente, promiſſionem recte factam fuiſſe conſtet, nullum quidem dubium ſupererat, optimo jure easdem deberi, *L.* 1. *C. de uſur.* qualecunque demum id fuerit negotium, cui iſthæc promiſſio acceſſerit. Struv. *Exerc.* 27. *th.* 47. At, an citra ſtipulationem, ob uſuras ſpeciatim interpoſitam, idem in contractu ſtricti juris effici potuerit, ſi ſcil. non per pactum adjecta tantum, ſed in ipſo contractu dationi ſortis implicita fuerit promiſſio, minus eſt expeditum. Etenim, id quare admitti nequeat, pluribus expoſuit Noodt, *de pact. & tranſact. cap.* 12. Enimvero ſpecioſe arguit Ampliſſ. Dn. van Bynckershoek, *Diſſ. de pact. ſtr. jur. contr. adject. cap.* v. analogiam juris hoc prorſus ſuadere: quandoquidem in traditionibus rerum, quod pactum ſit, manifeſto valet, *L.* 48. *ff. de pact.* talisque promiſſio in contractum innominatum degenerare, & licet minime condictionem, tamen actionem præſcriptis verbis parere videtur. Cujusmodi degeneratio ſane mira adeo non foret, quum explorati juris ſit, actionem præſcriptis verbis ſæpe concedi, ubi, qualis actio inſtituenda fuerit, ambigitur. vid. *L.* 3. *L.* 5. *in f.* *L.* 21. *ff. de præſcr. verb.*

§. XV.

Uti autem iſthoc modo permiſerunt Romani, ut ex conventione inita peterentur *uſuræ*, ita non minus indulgentes, in illis, interveniente *Judicis officio*, adjudicandis, exſtiterunt, ſi quando iniqua ceſſatione debitor ſortem alteri repræſentandam retinuerit, aut eandem in uſus ſors converterit. Etiamſi enim in ſtricti juris judiciis regula ſervata fuerit, ut officio judicis aliter ſubjecta haud eſſet *uſurarum* addictio, quam ſi fuiſſent

pro-

promiſſæ: ceu egregie docuerunt Noodt, *de uſur. & fœn. Lib.* III. *cap.* 12. Voet. *Comment. ad ff. tit. de uſur. §.* 10. Cujac. *obſervat. lib.* XIV. *cap.* 22. imo neque in bonæ fidei judiciis initio tantum valuerit judicis officium, ut uſuras, niſi de eis præmiſſa ſtipulatione conventum fuiſſet, creditor conſequeretur: vid. Noodt, *de pact. & tranſact. cap.* 11. *inf.* ſucceſſu temporis tamen æquitatis veneratio conditores juris permovit, ut in aliam diſcederent ſententiam. Poſtquam enim æquatione juris, quæ eſt in ſocietate, uſuras quoque contineri agnoviſſent, *L.* 60. *ff. proſit.* porro in univerſum fuit conſtitutum, ut in bonæ fidei judiciis eo uſque valeret officium judiciis, quouſque in ſtipulatione nominatim facta interrogatio. vid. *L.* 24. *ff. depoſ. L.* 7. *ff. de negot. geſt. L.* 34. *ff. de uſur.* Unde poſtmodum dimanavit, ut, quum quis, adhibita a creditore debiti repetendi inſtantia, *L.* 32. *§.* 1. *ff. de uſur.* jure interpellatus non ſolverit id, quod ex negotio bonæ fidei debebat, vid. *L.* 17. *L.* 21. *ff. de uſur.* in uſuras is, ob moram ex perſona debitas, ultra ſortem condemnaretur. *L.* 13. *§.* 20. *ff. de act. empt. & vend. L.* 17. *§.* 4. *ff. de uſur.* Quod jus, ex quo ſemel increbuit, tam altas in animis JCtorum egit radices, ut præterea non tantum in legatis ac fideicommiſſis, dum poſtulanti non dantur, aut ob dilatam præſtationem, uſuras ex mora peti poſſe aſſererent; Paul. *Rec. ſent. lib. III. tit.* 8. *§.* 14. *L.* 34. *ff. de uſur. L.* 24. *ff. de uſu & uſufr. leg.* verum etiam in pollicitatione, non liberalitatis nomine, ſed ob juſtam cauſam, Reip. facta, *L.* 7. *pr. ff. de pollicit.* uti & in actione rei judicatæ, *L.* 2. *C. de uſur. rei jud.* ac illis, quæ fiſco ex quocunque contractu debentur, *L.* 17. *§.* 5 *ff. de uſur.* idem facta ampliatione fas eſſe judicarent. Atque, quo minus uſurarum debitum tum ſolum admiſſum fuiſſe videri poſſet, quum mora ex perſona originem duxiſſet, ulterius in legibus cautum fuit, ut ne,

ſi mora *in re* poſita ſe judici obtulerit, *uſurarum* is in ſententia oblivisceretur, quas debitori imponeret. *L.* 23. §. *L.* 38. §. 1. *ff. de uſur.* Quo nomine obtinuit, ut, ſi præfinito obligationi die non extat, qui conveniatur, debitor, is moræ obnoxius eſſe incipiat, *L.* 23. §. 1. *ff. de uſur. L.* 2. *ff. de foen. naut.* neqne ab ea immunis ſit, qui tardius id, quod die certo debet, exhibuit: *L.* 9. §. 1. *ff. de uſur.* maxime, ubi favor perſonæ creditoris concurrit, qualis cumprimis in pupillo & minore, atque fiſco conſpicitur. *L.* 3. *C. in quib. cauſ. reſt. in integr. nec. non eſt*, *L.* 77. §. 5. *ff. de uſur.* Cui ſimile eſt, quod emptor ad uſuras teneri dicatur, licet nulla ejus, propter interpellationem neglectam, mora intervenerit. *L.* 13. §. 20. *ff. de ait. empt. & vend. L.* 5. *C. eod.* Quo jure ſemel admiſſo non evenire rurſus non potuit, ut *uſurarum* præſtatio illis peculiariter injungeretur, qui ſortem alii debitam, quo ex ea lucrum perciperent, in proprios uſus converterant: ita ut juſtiſſima ratione conſtitutum fuerit, quemadmodum, ſi vel ſocius pecuniam communem, vel depoſitarius rem depoſitam invaſerit, uſuris locus concedi debeat, licet mora alioquin redditionem haud præceſſerit. *L.* 1. §. 1. *ff. de uſur. L.* 3. *L.* 4. *C. depoſ.* Cujusmodi interceptio uſus rei alienæ quum pariter ad quaſi contractus, qui bonæ fidei ſunt, pertineat, ſimul pateſcit, qui factum ſit, ut a negotiorum geſtore, tutore, hærede, &c. uſuras exigere liceret. vid. *L.* 38. *ff. de negoi. geſt. L.* 1. *C. de uſur. pupill. L.* 46. §. 4. *C. de Epiſc. & Cler.* Et quamvis non nulli DD. hic argutari, ſibique ac aliis perſuadere contenderint, illi uſurarum, ceu priſtino jure conſtitutæ, licentiæ Juſtinianum Imp. eo ipſo derogaſſe, quum Concilii Nicæni canones diſerte approbaverit; vid. *L.* 2. *C. de ſumm. Trinit. Novell.* 131. *cap.* 1. ea tamen ſententia merito rejicitur: ſiquidem uſum forenſem uſurarum concilium Nicænum neutiquam excluſit, uti §. XV. dicetur, nec Juſtinianus eo unquam eſſe potuit

tuit animo, ut uſuras prohiberet, quippe qui easdem frequentiſſime alias approbavit. vid. *Nov.* 27. *cap.* 6. *& ſeq. Nov.* 136. 138. 162. Quare etiam Leo Imp. æris alieni uſum ad uſuras procedere poſſe, noviſſime edixit. *Nov. Leon.* 83. Add. Harmenop. *Procheir. lib.* III. *tit.* 7.

§. XV.

Verum enim vero in omnia alia diſceſſerunt, ex quorum ſcriptis conflatum fuit Jus Canonicum, Doctores Eccleſiæ, ac deinde Epiſcopi Romani: utut primis temporibus moderatior ea in re doctrina emerſerit, quam ſubſequente ævo fuit recepta. Nam inficiari quidem haud licet, Patres eam foviſſe ſententiam, ac ſi regulas amoris, ſecundum præcepta Salvatoris, proximo debiti plene ſatis haud exequerentur, ſed publicum avaritiæ argumentum ederent, qui pecuniam fœnebrem elocaſſent. vid. Cyprian. *de Lapſis*, Lactant. *Divin. Inſtit. Lib.* VI. *cap.* 8. Ambroſ. *de Tobia*, *cap.* 3. Chryſoſtom. *in Matth. cap.* 21. *Homil.* 38. Neque etiam controvertere lubet, in quibusdam unius, vel alterius provinciæ conciliis placuiſſe, ut ab eccleſia ſepararetur, qui uſuras iniquas exegerit, utpote quod conſtat ex *concil. Eliberitano*, anno 313. habito c. 20. apud Caranzam, *Summ. Concil. pag. m.* 83. At hujusmodi prohibitiones uti in univerſum ad illicitum uſurarum modum potius, quam ad id, quod ob uſum æquabili ratione penditur, reſpexiſſe videntur; ita in canonibus Apoſtolicis, *can.* 45. Concilio Nicæno, *can.* 17. Carthaginenſi III. *can.* 16. perſpicue declaratum fuit, quemadmodum lucri ex uſuris provenientis participatio ſolis clericis vetita cenſeri debeat. Conf. Mareſ. *Annott. ad Cucchi, Inſtit. Jur. Can. lib.* 4. *tit.* 7. *noi.* 1. Enimvero, quum deinceps artificiosa Hierarchiæ Papalis machina compararetur, neque obſcurum cuiquam eſſe poſſet, quanti ejus interſit, ſi populo perſuaſum fuerit,

omnes

omnes ejusdem reipublicæ Christianæ, sub uno capite, Pontifice Romano, collectæ membra esse, contigit, ut singula, quæ de prohibitione usurarum ad Judæos inter se pertinente, in republica Hebraica Theocratica Patres attulerant, diligentius compilarentur, jamque pro certo jure haberi inciperet, Christianis pariter sine discrimine ab usuris esse abstinendum. vid. *C.* XIV. *quæst.* 3. 4. Sane ex illo tempore in eo cum maxime desudasse Episcopos Romanos, ut usurarum nomen, pœna illis apposita, invisum laicis redderent, inde colligere licet, quod, quum tenacissimus Primatus assertor, Leo, vid. Morn. *Myster. iniquit. pag. m.* 141. censuræ ecclesiasticæ quoscunque Christianos ideo subjecisset, *can.* 7. *C.* XIV. *qu.* 4. postmodum, decessorum exemplo animati, Pontifices eousque processerint, ut & antichresin damnarent, *cap.* 1. *& c.* 8. *de usur.* usurariis communionem & sepulturam ecclesiasticam denegarent, *cap.* 2. X. *eod.* nec dispensationem circa usuras permitterent, *cap.* 4. *X. eod.* earum restitutionem injungerent, *cap.* 5. *& c.* 9. *X. eod. cap.* 2. *de usur. in* 6. imo ad usuras referrent, si ob solutionem dilatam, quid carius venditum fuerit, distinctione haud admissa, an usuræ ultro solverentur, *cap.* 10. *X. eod.* aut Judæus illas exigeret, *cap.* 12. *X. eod.* aut jurejurando firmata usurarum promissio esset: *cap.* 13. *X. eodem.* ita ut usuræ ad instar spolii æstimari debeant, *cap.* 14. *& c.* 17. *X. eodem.* usurarii vero inquisitioni subjiciendi sint, *cap.* 15. *X. eod.* nec tolerari a quopiam possint, *cap.* 1. *de usur. in* 6. prohibitione sub excommunicationis pœna ulterius facta, ne usuræ promissæ adjudicarentur. Clem. *un. de usur.* Enimvero, quantis execrationibus etiam prosecuti usuras fuerint Pontifices, tantum tamen abest, ut id, quod in usuris, si reprobari debeant, summam vitii conficit, vel agnoverint, vel exterminare voluerint, ut ex ipsis Decretalibus Epistolis, ac interpretatione Doctorum potius liqueat,

queat, de nomine uſurarum magis fuiſſe certatum, quam de re ipſa, ſive additamento, quod propter uſum ſortis alteri præſtandæ debitor exſolveret. vid. Leyſer. *Meditt. ad. ff. ſpecim.* 252. Etſi enim 1) nec ipſi Canoniſtæ diffitentur, id quod *intereſt*, ab uſuris non eſſe alienum: quia tamen illo merum creditoris lucrum haud contineri arbitrantur, minime abnuunt, conſentaneum doctrinæ Pontificum eſſe, ut, qui ratione ejus, quod ſua intereſt, a debitore aliquid recipit, vel petit ultra ſortem, ideo quod nullum lucrum ſit, ſed compenſatio abſentis lucri, vel damni præſentis, quod creditor ob reſtitutionem ſibi non factam ſuſtinuit, is recte idem conſequatur. Caniſ. *tr. de uſur. cap.* 1. *num.* 6. *&* 13. Conf. *cap.* 9. *X. de arbitr. cap. un. X. de plus petit.* adeo ut eousque quoque antichreſin juri Canonico haud contrariari affirmetur. Engel. *Coll. Jur. Canon. lib.* v. *tit.* 19. *§.* 2. *num.* 17. Quo nomine tamen creditoris avaritiæ plus conceſſum, & notiones morales turpiſſima confuſione magis corruptas fuiſſe, quam ſi moderatas uſuras, ſecundum leges civiles, illi accipere licuiſſet, nemini obſcurum eſt, qui cogitaverit, petitionem ejus, quod intereſt, ad quamcunque ſummam poſſe aſcendere. vid. Tabor, *de alter. tant. part.* 2. *art.* 5. Add. ſupra §. 111. *inf.* Neque minus profecto 2) ſimulatæ hujus philoſophiæ documentum in eo proſtat, quod conſtitutio *annuorum redituum* a Pontificibus permiſſa fuerit. Nam, quia ita tantum, *honeſtiore nomine* emtionis, *mutuum uſurarium texerunt, & colorem hunc alleverunt, quod non* uſura, *ſed* merx *vendita ſit, non* acceſſorium, *ſed* debitum principale, *factum, ut rei communi ſub principiis fucatis, fictisque graviſſima vulnera inflicta, debitores vero, non tam rei familiaris naufragium ex* uſuris moderatis, *quam ex* annuis reditibus *perceperint:* prout egregie ſcripſit Dn. Böhmer, *Jur. Eccl. Proteſt. lib.* v. *tit.* 19. §. 51. hinc in oculos incurrit, uſurariæ rei patrocinatos fuiſſe Martinum

V. & Calixtum III. quod, manente uſurarum prohibitione, annuorum redituum, ſive cenſuum, promiſſionem, arbitrio paciſcentium reliquerint. vid. *Cap.* 1. *&* 2. *Extravag. comm. de empt. vend.* Uti & tacite agnovit Clemens VIII. quum cenſum ad ſeptuncem reduxerit. vid. Cherub. *Bullar. magn. tom.* III. *pag.* 5. Atque, uti idem 3) luculentius adhuc cernitur, quum, qui pecuniam, vel granum, &c. ea conditione alteri concedit, ut alio tempore amplius, quam res tradita prius valeret, recipiat, ab uſurarum crimine liber declaratus fuerit: vid. *cap.* 6. *& cap. fin. X. de uſur.* ita 4) exinde pariter cognoſcitur, quod fœnus nauticum, in quo creditor in ſe ſuſcepit periculum, uſuris prohibitis minime accenſeatur. *cap. fin. X. de uſur.* Nam legendum ibi eſſe, *uſurarius* non *eſt cenſendus*, arguunt adjectæ deciſioni ampliationes, quibus nullum *quoque* vitium ſubeſſe ſtatuitur. Quare in eam ſatis aperte propendet ſententiam Engel. *Coll. Jur. Can. lib.* V. *tit.* 19. §. 2. *num.* 15. Imo nihil aliud 5) Pontifices etiam, niſi uſurarum exactionem introduxerunt, ex quo montibus pietatis locum conceſſere: ſiquidem menſis trapeziticis hi proxime reſpondent, &, quod pro pecunia inde accepta præter ſortem præſtandum eſt, lucrum ſiſtit uſurarium, & principaliter, uti DD. loqui ſolent, intentum, quocunque etiam colore id tinctum inſtitutum fuerit, uti prolixe deduxit Nicolaus Barrianus *de mont. impiet. num.* 182. *& ſeqq.* Quare Franciſc. Papafava, *deciſ. de monte Pietatis, num.* 13. *& ſeqq.* haud male arguit, ejusmodi conſtitutiones cum prohibitione uſurarum prius facta minime poſſe conciliari.

§. XVII.

Sed tempus eſt, ut circumſpiciatur, quid hæc jurium circa *uſuras* variatio in illis effecerit populis, quos peregrinæ legis reverentia eo usque abduxit, ut exinde fæ-

ſæpius, quam ex priſci moris cynoſura, negotiorum forenſium definitionem arceſſerent. Quod ut debite fiat, ante omnia erit obſervandum, quemadmodum ignoratus in Germania magna pecuniæ & negotiationis uſus vid. Tac. *de mor. Germ. cap.* v. vix locum relinquat quæſtioni, quid populi, totius fere Europæ victores, de uſuris pecuniæ antiquiſſimo ævo ſenſerint. Nam, quamvis forte tum modo evenerit, ut, quod rerum fungibilium alteri ſupereſt, alteri deſit, ea conditione concederetur, ut quantitati debitæ additamentum accederet; certi tamen nihil de eo propterea adfirmari poteſt, quoniam in *Codice legum antiquarum*, quem Lindenbrogius edidit, manifeſta ſatis ejus rei haud reperiuntur veſtigia. At illud magis eſt expeditum, uti commercia, ita & uſurariæ pecuniæ exactiones tum maxime frequentari à populis Germaniæ cœpiſſe, quum debellatis gentibus, quæ Romano paruerant Imperio, permixti, & nummorum copia ab illis aucti fuerint. Sane in LL. Wiſigothorum, *Lib.* v. *Tit.* 4. §. 4. cautum deprehenditur, ut, ſi pecunia ſub uſuris credita caſu perierit, debitor ſortem reſtitueret ſine uſuris, præterquam, ſi alterum tantum ea ſit lucratus: ſin debitoris dolus vel culpa vero interceſſerit, & ſortem & uſuras reddere teneretur. Atque dehinc quoque uſuras ideo haud ſtatim fuiſſe proſcriptas, quod Conciliorum canones illis contrariarentur, inde perſpicitur, quod Carolus M. *lib.* IV. *Capitul. cap.* 17. apud Baluzium, *tom.* 1. *pag.* 796. exceſſum duntaxat vetuerit, ne ſcil. duplum vel triplum nomine uſurarum reciperetur. Neque etiam, quæ in dies latius proſerpſit, ſedis Romanæ ac Epiſcoporum auctoritas, tantum effecit, ut uſurarum idcirco ceſſaret exactio. Quod ſi enim additamentum ſortis, *ob moram*, expectatum ab officio Judicis fuiſſet, uti illi ſe haud oppoſuere Pontifices, veluti §. *præc.* XVI. memoratum fuit; ita, in litium eo nomine motarum definitione, perpetua facultas judicantibus re-

remanſit, id, quod vel ob damnum emergens, vel lucrum ceſſans intereſt, actori indulgendi. Quo nomine damna & intereſſe ſecundum canones peti poſſe, Gloſſa pronuntiavit, *in cap.* 8. *X. de uſur. Voc. de feudo.* Imo & in eam tam proni deſcenderunt ſententiam interpretes, eamque ad uſum forenſem traduxerunt, ut, quum in ſtricti juris judiciis, ſecundum regulas juris civilis Romanorum, officium judicis quieſcat, vid. *ſupra*, §. VIII. ampliore ei aſſerto, quod eſt in *L.* 34. *ff. de uſur.* interpretatione adjecta, id quod *intereſt*, ſive proprie uſuras, illi, cui ſors præſtanda erat, aut ex ſola mora, aut ex tempore litis conteſtatæ, indiſtincte addici debere, pronuntiarent. vid. Dn. de Meiern, Von der Rechtmäſſigkeit des ſechſten Zinß-thalers. §. 33. Groenewegen, *de LL. abrog. ad L.* 37. 38. *ff. de negot. geſt.* & *ad L.* 12. *C. de contrah. & committ. ſtipul.* Idque non ſolum in damno emergente, verum in lucro quoque ceſſante, obtinere, contra Gailium, *Obſervatt. Cameral. Lib.* II. *obſ.* 6. aſſeruit Engel. *Coll. Jur. Canon. lib. V. tit.* 19. §. 1. *num.* 4. Unde ſane eſt, quod non tantum *in Receſſ. Imp. de anno* 1600. §. So viel nun. 152. in gratiam creditorum ſancitum expreſſe fuerit, ut certum quid, loco, intereſſe a tempore moræ petere poſſent; verum etiam eo nomine uſuras, ſub nomine derer *intereſſen*, judicium Camerale illis adjudicaverit: Dn. de Meiern, *d. l.* §. 31. ſic ut de ejusmodi præſtationum debito haud dubitetur. vid. Blum. *Proc. cameral. tit.* XXXIV. *num.* 102. Neque aliud ſane in Belgio obtinuit. Nam, uti id edicto Carol. V. Imp. modo comprehenſum fuiſſe referunt Zypæus, *Notit. Jur. Belg. Lib.* IV. *pag. m.* 107. & Chriſtin. *Deciſ. Belg. Vol.* I. *deciſ.* 293. ita de uſu forenſi continuato teſtatur van Leuwen, *Cenſur. for. lib.* IV. *cap.* 4. *num.* 16. dum ait: *In praxi eſt receptum, toties in ſtricti juris judiciis, ex tempore moræ uſuras deberi, quotiescunque lucri ceſſantis, aut damni emergentis ratio intervenit. Quæ cum in mutuo fere ſit perpetua; ſic ut nunquam fere non interſit, pecunia, aut alia re fungibili*

ſua carere: perpetuam etiam facit regulam, in mutuo, quod per ſe gratuitum & ſtricti juris eſt, etiam citra ſtipulationem, mora ſc. & quod ejus cauſa intereſt, uſuras exigi poſſe & deberi.

§. XVIII.

Interim *uſuris conventionalibus* diutius obſtitit perſuaſio, ac ſi, ceu æquitati & legibus contrariæ, penitus ab exercitio Chriſtianorum ſint removendæ: ita ut, qui ſine illarum exactione conſulere neceſſitatibus ſuis haud valebant, ad involucra cum Pontificibus, vid. §. XVI. confugere maluerint: donec, detectis tandem curiæ Romanæ technis, innocua uſurarum præſtatio deprehenderetur. Hinc enim evenit, ut, quia ab uſurarum exactione quodammodo recedi videbatur, ſi debitor ſortis rem ſuam creditori tradidiſſet, ut proventibus ejus in vicem uſurarum frueretur, per modum pacti *antichretici* ſibi conſulerent, qui cenſuræ eccleſiaſticæ ſua exponere negotia formidabant. Et licet Pontifices ejus modi prætextum rejecerint; *vid. §. præced.* XVI. conventionum tamen iſtarum uſus in tantum modo invaluerat, ut privati non ſolum, verum etiam Imperatores & Principes jure ſe agere continuo exiſtimarint, quum interveniente oppignoratione mutuum vel darent, vel acciperent. vid. Marculf. in formul. apud Baluz. *Tom.* II. *Capitul. form.* 50. *pag.* 463. Dithmar. *Cod. Diplom. Clivenſ. num.* 15. 16. Dn. Pottgieſſer, *de indol. & nat. Pign. ſect.* III. *cap.* 2. §. 29. Atque, ut eo minus ſuſpicio oboriretur, ad uſurarum lucrum, quod ex mutui contractu naſcitur, conventionem reſpexiſſe, ſurrogari oppignorationi nomen emtionis & venditionis, ſub pacto de retrovendendo, conſuevit: ſic ut in dijudicandis medii ævi chartis difficillimum ſit, indagare, utrum in contractum pignoratitium, an vero in emtionem venditionem, ſub iſta clauſula, partes conſenſe-

rint. vid. Thomaſ. *Diſp. de diſtinct. inter empt. & contr. pignor. cap.* 2. §. 33. Dn. Potcgieſſer. *d. tr. Sect.* III. *cap.* 1. §. 8. Dn. de Meiern, Von der Rechtmäſſigkeit des ſechſten Zinß-thalers. §. 16. *& ſeqq.* A quo contrahendi more ut propterea rurſus diſcederent paciſcentes, quia Pontifices eundem deinceps vitio uſurarii negotii infectum eſſe pronunciabant, *cap.* 8. X. *de emt. vend. cap.* 4. X. *de pign.* perſuaderi quidem omnibus haud potuit. At factum inde nihilominus fuit, ut novum conquireretur commentum, cujus prætextu ad creditorem ſortis conceſſæ emolumentum rediret, licet rem debitoris, nec pignoris, nec emtionis, ſub pacto de retrovendendo, titulo teneret. Quem colorem quum emtioni *annuorum redituum*, ſive Cenſuum, ineſſe obſervatum fuiſſet, vid. Covarruv. *var. Reſ. lib.* III. *cap.* 7. *num.* 2. nullum fere negotium dehinc extitit, quod hujusmodi emtioni, ſi frequentia ſpectetur, palmam præriperet: præprimis, poſtquam Pontifices, ſusque deque habita uſurarum, & annuorum redituum convenientia, ſuam cenſuum exactioni adjicerent approbationem. vid. Dn. Böhmer. *Jur. Eccleſ. Proteſt. lib.* V. *tit.* 19. §. 48. *& ſeq.* Conf. *ſupra.* §. XV. Enimvero, quum, nec illos juſta petitione deſtitui, res ipſa loqueretur, qui ſimpliciore modo quantitatis uſum, ſub ea conditione, alteri conceſſiſſent, ut pretium ejus vicissim nanciſcerentur (quippe pro quibus pariter titulus ejus, quod *intereſt*, militabat, quam pro iis, qui ex mora debitoris id in judicium deducebant) tandem in univerſum obtinuit, ut conventionibus, quæ moderatam uſurarum ſponſionem continebant, ſive illa antichreſeos, ſive emtionis, ſub pacto de retrovendendo, ſive annuorum redituum, ſive denique ejus, quod intereſt, nomine conſtituta fuerit, legum civilium accederet præſidium, vid. Blum. *Proc. Camer. tit.* XXXIV. *num.* 94. *& ſeqq.* nec vis obligationis ideo amplius evaneſceret, quod uſurarum conventionalium promiſſione aucta fuiſſet. Dn. Böhmer.

mer, *d. l.* §. 31. 32. Sane uti id obſervantia fori Belgici jam pridem comprobavit; vid. Bugnyon, *de LL. abrogg. lib.* 11. *Sect.* 35. Grot. *Introd. in Jurispr. Holl. lib.* 111. *ſect.* 10. *num.* 27. ita in Imperio Rom. Germ. quemadmodum idem invaluerit, egregie oſtendit Dn. de Ludolff. *Obſervatt. forenſ. lib.* 1. *ſupplem.* 1. *pag.* 398. quando inquit: *Cum antea* (Sc. ante finem ſæculi XVI.) *veneratione ſumma Juris Pontificii, ſtipulatio omnis uſurarum in contractu mutui haberetur pro illicita, & Imperii Leges politicæ ab anno* 1500. *usque* 1577. *ſtatuiſſent tantum modum annuorum redituum, non vero uſurarum: dubium incidebat, an eſſet poteſtas Judicio Camerali, adjudicandi uſuras in contractibus mutui, quæ ſucceſſu temporis venerant in uſum. Deciſa tandem quæſtio Imperii nomine, in Receſſu Deputt. Spirenſi, anno* 1600. §. So viel dieſem nach. 139. *junct. Receſſ. Imper.* 1654. §. Anreichend die Kunftigen Zinß/ 174. Et quamvis nonnulli, etiam poſt Receſſum Imp. noviſſimum, contortam illi explicationem addendo, ſuſtinuerint, præter uſuras ex mora debitas, nullas, quantumvis conventione nitantur, in Judiciis Imperii Supremis adjudicari: adeo tamen nervoſe illorum tela repreſſit Dn. de Meiern, *laud. tract.* §. 39. *& ſeqq.* ut is demum, qui veritati demonſtratæ obloqui haud fuerit veritus, quicquam reperire poſſit, quod uſurarum conventionalium objiciat licentiæ.

§. XIX.

At, fuerit licet in ipſa uſurarum petitione generatim conſiderata nihil, quod juſta reprehenſione exagitari debeat, diſſimulandum tamen haud eſt, lubricum id genus quæſtuum eſſe, adeoque præceps, ut, qui non curioſius circumſpexerit, protinus in vitia ruat, quæ in bene conſtitutis ſocietatibus tolerari nec debent, nec poſſunt. Quod ſi enim jure naturæ æquum eſt, neminem cum

al-

alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem, uti ait Pompon. *L.* 206. *ff. de Reg. jur.* providere ſane oportet, ne finem modumque egrediatur creditorum avaritia, &, quum illis jure permiſſum ſit, ut pro uſu ſortis, quæ penes alium exiſtit, mercedis juſtæ in vicem uſuras perciperent, impudentes atque improbi incertis nominibus credant, vid. *L.* 1. *ff. de SC. Maced.* aut, omnem exuendo verecundiam, quinas cum Fufidio mercedes ſorti exſecare contendant, cujus mores eleganter expreſſit Horatius, dum *lib.* 1. *ſerm. ſat.* 2. *verſ.* 13. ita canit:

Dives agris, dives poſitis in fœnore nummis,
Quinas hic capiti mercedes exſecat, atque
Quanto perditior quisque eſt, tanto acrius urget,
Nomina ſectatur. —— *Quis non,*
Jupiter, exclamat, ſimul atque audivit?

Quare nec ambigere quisquam valet, quin, adverſus juris ac æquitatis regulas, quaſi in portu impingere illos ſtatuendum ſit, qui hujusmodi exceſſus minus ſollicite vitaverint. Attamen, quum propter varietatem circumſtantiarum dubium videri poſſit, quousque exactio uſurarum iniquitatis vitio ſubjaceat, niſi illarum quantitas jure poſitivo determinata fuerit, illius adjumento nunc quantitatem *uſurarum* legitimam porro explorare, eoque nomine tum Reip. Romanæ, tum aliarum provinciarum, maxime Imperii Rom. Germ. leges ac inſtituta evolvere conveniet.

§. XX.

Quod igitur Romanorum jura attingit, initio, aut eo tempore, quo Romani fœnoris gratum ſentire cœperunt odorem, legibus modum uſurarum conventionalium haud

fuiſſe

fuiſſe comprehenſum, ſed arbitrio paciſcentium relictum, inde perſpicitur, quod fœnus ex *libidine paciſcentium agitaretur*, veluti Tacitus, *lib.* VI. *Annal. cap.* 16. inquit. Verum immoderatæ huic licentiæ ſe Decemviri poſtea oppoſuere, quum in LL. XII. Tabb. ſanxerint, *ne quis unciario fœnore amplius exerceret.* Qua conſtitutione quam leve onus debitori impoſitum fuerit, facile licet intelligere. Nam, quemadmodum Græci, pro ſolemni ac legitima ſortis ſumma, minam poſuere, ſive centum drachmarum numerum, cujus centeſimam partem, ſive drachmam, menſtrua die, uſuræ nomine creditori ſolvendam, debitor offerret; vid. Salmaſ. *de mod. uſur. cap.* 2. *pag.* 48. 57. *&c.* ita probabile eſt, eos, qui apud Romanos, inter juſtos & injuſtos fœneratores medium tenebant, Græco more, *Centeſimam* ſortis portionem, uſuræ loco ſingulis menſibus pendendam, à debitoribus exegiſſe, eamque portionem à vetuſtiſſima populi Romani pecunia *aſſem* appellaſſe. vid. Gronov. *de Seſtert. lib.* III. *cap.* 13. Quare, quum uti centeſima uſura ſingulis Kalendis, niſi aliter conveniſſet, præſtanda, vid. Noodt, *de fœn. & uſur. lib.* III. *cap.* 1. ea diceretur, quando, ceu perſpicue tradit Harmenop. *Procheir. lib.* III. *tit.* 7. *ob centum nummos toto anno duodecim præſtantur, propterea quod pro centum nummis unus quoquo menſe nummus detur, qui ſi cum univerſis centum conferatur, omnino centeſimam habet rationem;* hinc unciarium fœnus aliud eſſe non potuit, niſi quod, non uſuram centeſimam, uti quidam volunt, ſed ejus partem duodecimam ſiſtebat. Noodt, *d. lib.* II. *cap.* 4. Quod veri tanto magis inde redditur ſimile, quoniam centeſima, *uſura aſſis*, non tantum dicta fuit, veluti ex Plinio, *lib.* X. *Epiſtol.* 62. colligit Salmaſ. *d. l. cap.* 7. & paulo poſt ſubjungit: *omnes uſuræ centeſimæ minores ab aſſis partibus denominantur*, ſemiſſis *a parte dimidia aſſis*, *centeſimæ dimidia pars*, trientes *tertia centeſimæ*, quadrantes *quarta*, ſextantes *ſexta*,

ſexta, & unciæ uſuræ *a duodecima aſſis parte*, *duodecima quoque centeſimæ*. Add. Dn. Heinecc. *Antiquitt. Roman. ad Inſt. lib.* III. *tit.* 15. §. 18--30. Struv. *Exercit.* XXVII. *th.* 49.

§. XXI.

Verum, intra adeo anguſtos terminos ut coerceretur *uſurarum* quantitas, haud diu indulſit fœneratorum frequentia: quippe qui id continuo agebant, ut centeſimarum uſurarum morem reducerent. Et licet *dein rogatione tribunitia ad ſemuncias redactam verſuram*, referat Tacitus, *Annal. lib.* VI. *cap.* 16. ſubſequentibus tamen temporibus rurſus creditorum verſutia tam crebro eminuit, ut vix plebiſcitis ita obviam iri poſſet fraudibus, quin toties repreſſæ miras per artes reſurgerent. Tacit. *d. l.* Quare ex poſt, non lege quidem Gabinia, uti ſentit Briſſon. *Antiqq. jur. civil. lib.* III. *cap.* I. *inf.* (quippe qua vel fœnus tantum vetabatur, quod legato provinciali fuiſſet elocatum, vid. Noodt. *de fœn. & uſur. lib.* II. *cap.* 4. vel verſura, ſive, ne pecunia à creditore ideo accepta, ut uſuris ſatisfieret, ſortis loco habeatur, erat prohibita. Cujac. *Comm. in lib.* II. *quæſt. Papin. ad L.* I. *ff. de uſur.*) verum edictis Prætorum factum fuit, ut creditoribus haud amplius reſiſteretur, ſi centeſimarum ſtipulatione ſibi proſpexiſſent: veluti M. Tullius, *Epiſtol. ad Attic. lib.* V. *epiſt. ult.* fatetur, dum in edicto traliticio ſe centeſimas obſervaſſe, enarrat. Unde & Lucullus, teſte Plutarcho, *in vita Lucull. Tom.* I. *pag.* 540. id ſufficere credidit, quum centeſimam uſuram ne quis excedat, præciperet. Atque ita porro Senatusconſultis, vid. M. Tullius *d. lib.* V. *Epiſt.* 21. & Impp. conſtitutionibus, vid. *L.* 14. §. 26. *ff. de act. empt. & vend. L.* 20. *C. de uſur.* firmata centeſimæ uſuræ fuit exactio, ceu legitimæ, vid. *L.* 2. *C. Theod. de uſur. L.* 8. *C. ſi cert. pet.*

&

& de qua jus diceretur: vid. *L.* 40. *ff. de reb. cred.* adeo, ut officio ſuo ſe ſuperfuiſſe exiſtimarent Legiſlatores, quum ſanctionibus ſuis intercedere potuerint, quominus promiſſio uſurarum, ultra centeſimas extenſa, vim haberet, idque, quod ſupra eam quantitatem ſolutum fuerat, ceu ſors indebita, reſtitueretur. vid. *L.* 26. *pr. ff. de cond. indeb.* Schulting. *Annott. ad Paul. Recept. ſent. lib.* II. *tit.* 14. *num.* 7. 8. Et quamvis de Alexandro Severo teſtetur Lampridius, *in Alex. cap.* 26. quod uſuras traxerit *ad trientes penſiones*, ejus tamen juris minime viguiſſe auctoritatem oportet, quia Juſtinianus, *L. ult. C. de uſur. rei jud.* gloriatur, ſe ſua demum conſtitutione effeciſſe, ut uſuræ minores centeſimis eſſent. Unde pietati ſolum creditorum adſcribendum eſt, ſi, in uſuris graviſſimis exigendis, minus acerbi uſuras modeſtiores, uti ſemiſſes, *L.* 10. *ff. de pollicit.* (quæ Plinio, *Hiſt. Natur. lib.* XIV. *cap.* 4. civiles & modicæ uſuræ dicuntur,) vel quincunces, vel trientes, *L.* 7. §. 10. *ff. de admit. tut.* vel quadrantes, *L.* 21. §. 4. *ff. de ann. leg.* vel alias denique leviores, reciperent. *d. l.* 7. §. 10. Conf. Noodt, *d. lib.* II. *cap.* 2; Sane, niſi in illa creditorum benevolentia perfugium debitores reperiiſſent, adeo eſt expeditum, centeſimarum præſtationi ſe ſubmittere eos debuiſſe, ut in nonnullis etiam caſibus creditori facultas relicta fuerit, ultra eam quantitatem ſibi ſtipulatione proſpiciendi. Etſi enim nullo jure permittebatur, ut debitori pro lubitu ſuo extorqueret creditor, aut binas centeſimas, vid. M. Tull. III. *Verr. cap.* 71. aut ternas, Juvenal. *Sat.* IX. *verſ.* 7. aut quaternas: M. Tull. *Epiſt. ad Att. lib.* VI. *Epiſtol.* 1. nihil contra magis videbatur juſtæ retributionis legi eſſe conſentaneum, quam ut, ſi in fœnore nautico verſati fuiſſent contrahentes, & creditor periculum ſortis retinuiſſet, proptea quoque *infinitas uſuras* illi recipere liceret, ceu Paulus ait, *Recept. ſent. lib.* II. *Tit.* 14. §. 3. ita ut ea licentia tamdiu per-

duraret, donec discussum fuerit periculum. *L. 4. ff. de naut. fœn.* Cui &, propter paritatem rationis, locus relinquebatur, quum periculi pretium creditor exigeret. *L. 5. ff. de naut. fœn.* Quin in eo quoque casu longe superasse olim paciscentes centesimarum quantitatem, tum conspicuum erat, quum mutuum non pecuniæ, sed quantitatis frumenti, sive specierum, placuisset: quoniam ita hemiolios, aut quantitatem cum dimidio, vid. A. Gellius, *Noct. Attic. lib.* XVIII. *cap.* 17. creditor jure consequeretur, sive, *si summa crediti in duobus modiis fuerit, tertium modium amplius*, prout retulit Constantinus, *L.* 1. *C. Theodos. de usur.* Quare etiam tum demum correxit excessum Gordianus, *L.* 16. *C. de usur.* si quis pro pecunia credita certam frumenti modiationem restitui sibi voluisset. Neque desunt, qui idem in antichresi jus offendi existiment. Nam, licet in antichresi tacita aliud statuat Paulus, *L.* 8. *ff. in quib. causs. pign. tac. contrah.* in antichresi expressa nihilominus contrarium, & licitam conventarum usurarum perceptionem esse, probabilius defenditur: vid. *L.* 14. *C. de usur.* quoties nimirum vel incerti fuerint fructus, vel in certis excessus non emerserit imodicus. vid. *L.* 17. *C. de usur.* Cujac. *lib.* VIII. *obs.* 17. DN. Heinecc. *Elem. Dig. Tit. de pign. & hypoth. §.* 16.

§. XXII.

Paulo aliter autem se res habebat, quum *usuræ* non in obligatione, sed in *officio judicis* positæ fuerint. Nam planum quidem erat, judicem, nec vi officii, eo posse progredi, unde paciscentes lege arcebantur: nimirum, ut usuras majores, quam relictas partium conventioni centesimas adjudicaret: quoniam, quod contra sacras constitutiones judicatur, nullius est momenti, *L.* 1. *§.* 2. *ff. Quæ sent. sine appell. rescind.* & illud observare judicem oportet, ne secus judicet, quam legibus aut con-

conſtitutionibus, aut moribus convenit, *pr. inſt. de offic. jud.* ne legi officiat. *L.* 1. *ff. de uſur.* Verum, quum legibus comprehenſum fuerit, ut & citra conventionem uſuras judex, tanquam ex mora debitas, creditoribus addiceret, vid. *ſupra* §. XV. metus oboriebatur, ne is idcirco centeſimas ſine diſcrimine debitoribus imponere teneretur, à quibus, veluti ſanguinolentis, vid. Seneca, *lib.* VII. *de benef. cap.* 10. omnes abhorrebant. Quamobrem, ut ne nimis grave debitoribus eſſe videretur judicantium officium, commiſſum, in imponendis hujusmodi uſuris, fuit judici, ut ex æquo & bono arbitraretur: *L.* 12. §. 1. *in f. ff. Mand.* unde non ſequi non poterat, ut is continuo cogitaret, quemadmodum uſuræ iſtæ non propter lucrum petentium, ſed propter moram ſolventium infligantur. *L.* 17. §. 3. *ff. de uſur.* Ex qua cogitatione, & quum ſimul animadverteretur, moderatos creditores mitius cum debitoribus ſuis agere, quam ut ab eis centeſimam exigerent, porro profluxit, ut ad eorum verecunda facta potius, quam ad legum permiſſionem judex reſpiceret, hincque modum uſuris conſtitueret, quem *ex more regionis ubi contractum eſt*, deducebat. vid. *L.* 1. *L.* 37. *ff. de uſur.* Quo ipſo propterea more præſtandas fuiſſe uſuras, aut quincunces, aut trientes, aut ſi quæ aliæ leviores in provincia frequentantur, docet Ulpianus *L.* 7. §. 10. *ff. de admin. tut.* Atque inde eſt, quod, uti id in bonæ fidei judiciis generaliter fuit obſervatum; *d. l.* 37. *ff. de uſur.* ita nec a tutore ſupra hujusmodi, id eſt, *ſtatutas* uſuras, veluti Ulpianus dixit, *l.* 7. §. 5. *ff. de pact.* regulariter quid exigatur, *d. l.* 7. §. 10. *ff. de adm. tut.* nec negotiorum geſtori plus imperari debeat. *L.* 38. *ff. de negot. geſt.* Enimvero id tamen jus nequaquam adeo fuit perpetuum, ut non aliquando rigore legibus permiſſo júdex uteretur, & vel majores, vel maximas, ſive centeſimas uſuras debitori imperaret, quum indignum il-

lum beneficio, vel aliam juſtam cauſam reperierit. Quod ſi enim tutor vel pupillarem pecuniam in ſuos uſus convertiſſet, vel eam penes ſe eſſe negaſſet, aut alioquin moram commiſiſſet, vel a debitoribus centeſimas accepiſſet, eis ceu graviſſimis pariter ſubjiciebatur. vid. *L.* 7. *§.* 4. 7. 8. *&* 10. *ff. de admin. tut.* Uti ex adverſo ipſe a pupillo ejusdem quantitatis uſuras repetere poterat, quas ejus nomine ſolviſſet, vel percipere haud potuiſſet. *L.* 3. *§.* 1. *ff. de contr. tut. act.* Unde in negotiorum geſtoribus, procuratoribus, ac Magiſtratibus municipalibus, illud quoque jus uſurpatum fuit, ut, ſi pecuniam adminiſtrationi ſuæ expoſitam uſibus propriis accommodaſſent, maximas uſuras præſtare cogerentur, *L.* 38. *ff. de negot. geſt.* vel, ſi aliis pecuniam conceſſiſſent, eas, quas ipſi perceperint, *ne de alieno lucrum ſentiant. L.* 10. *§.* 3. *Mand.* Quin & fieri potuiſſe, ut, qui poſt duos menſes a lata ſententia, debitum non ſolverit, ob moram in duplices centeſimas condemnaretur, appoſite ad rem declaravit Noodt. *de fœn. & uſur. lib.* 11. *cap.* 8. At, quemadmodum præter hoſce, & qui ulterius in jure extant, caſus exceptos, haud facile ad centeſimas adſcendit judex; ſic multo minus affirmari poterit, ac ſi nomine ejus, quod intereſt, creditori is taxationem permiſerit. Nam, licet tum, quum debitor tam diu in mora ſolvendi fuerit, ut uſuræ inde ex officio judicis adjudicandæ ſortem exæquaverint, alterum tantum creditor conſequi poſſit, idque forte non adeo alienum ſit a ſenſu *L. un. C. de ſent. quæ pro eo quod inter.* tamen ea deficiente ſpecie convenientius aſſeritur, eo usque officium judicis haud pertingere: ſiquidem in uſuris æſtimandis non omne id, quod creditor ex *ſorte* ſoluta, ſi mora defuiſſet, conſequi potuerit, ſpectatur, *L.* 19. *ff. de peric. & comm. rei vend. L.* 70. *§.* 1. *ff. de leg.* 11. &, quod huic ſententiæ adverſari videtur in *L.* 2. *§. ult. ff. de eo, quod cert. loc.* com-

mode

mode ad promiſſionem refertur, quâ quis non tantum ad pecuniæ ſolutionem ſe obligavit, ſed ad factum quoque ideo certo loco expediendum. Conf. Noodt *d. l.* II. *cap.* 6.

§. XXIII.

Verum enim vero ſubſequente ævo longe adhuc mitiorem animo ſuo inſidere ſententiam, Juſtinianus Imp. demonſtravit, quum priſci juris mutationibus aliis eam ſubjunxerit, quæ ad uſurarum obligationem pertinet. Nam quia vel obſervarat, vel edoctus fuerat, nec eandem omnibus pecuniæ eſſe utilitatem, aliorumque magis, quorundam vero minus intereſſe, ut pecuniæ eis debitæ uſu potirentur; nec in omnibus caſibus eandem petitionis occurrere juſtitiam, avaritiæ creditorum, & injuſtæ debitorum temeritati ſimul occurrendum eſſe cenſuit: hincque, quum peculiariter ſanxiſſet, ut ſi extraneus dotem promiſſam intra biennium non ſolviſſet, ad tertiam centeſimæ partem, uſuras pendere teneretur, *L. ult. §. ult. C. de jure dot.* pariterque maritus, qui rei uxoriæ reſtitutionem poſt annale tempus diſtuliſſet, eis obnoxius eſſet, *L. un. §.7. C. de rei uxor. act.* porro tum de uſuris ex *conventione* debitis, tum de eis, quæ *officio judicis* continebantur, in *L.* 26. *§.* 1. *C. de uſur.* juſſit, ut ſi 1) illuſtres perſonæ aut eas præcedentes, exegerint uſuras, ultra tertiam partem centeſimæ, *ſive trientes*, haud conſequerentur, quo ſcil. tanto magis hujusmodi conditionis homines a ſordibus atque rapacitate abſtraherentur; iis autem 2) qui ergaſteriis, vel tabernis mercatoriis præſunt, vid. *L.* 1. *C. de metat. L.* 2. *C. de Epiſc. & cler.* aut aliam licitam negotiationem gerunt, uſuras, usque *ad beſſem* centeſimæ, indulſit; & reliquis 3) omnibus normam præſtituit, ut ne ultra dimidiam centeſimæ, ſive ſemiſſes, tanquam civiles ac mo-

modicas, Plin. *Hiſtor. nat. lib.* XIV. *cap.* 4. uſuras acciperent: ſub quibus & fiſcum comprehendi, ut indubitatum eſſet, ipſe Juſtinianus deinceps ſpeciatim indicavit. *L.* 3. *C. de uſur. fiſcal.* Quæ tamen uſurarum reſtrictio haud obſtitit, quo minus in quibusdam caſibus fas eſſe judicaverit Imperator, ut *centeſimis* uſuris locus concederetur. Quod ſi enim in trajectitiis contractibus, ubi periculum ſortis penes creditorem manebat, verſati fuiſſent contrahentes, uſuras usque ad centeſimam, non vero ulterius, permiſit, idemque jus eſſe voluit in *ſpeciebus* fœnori expoſitis: alleg. *L.* 26. §. 1. *C. de uſur.* ſiquidem ex frumento ſato majus ad debitorem, quam ex pecunia conceſſa, redire lucrum non ſine cauſa præſumebatur. vid. Hieronym. *in Ezechiel. lib.* VI. *cap.* 18. Neque aliter ſtatuere licet, ſi judicatum, quod quis obtinuiſſet, intra quadrimeſtre ſpatium haud ſolutum ei fuerit, quum præciſe iſtud diſpoſitum inveniatur in *L.* 2. *C. de uſur. rei jud.* qua rigorem *L.* 1. *C. Theod. de uſur. rei jud.* Imperator mitigavit. vid. §. XXII. Quales uſuras centeſimas ſi eodem modo Juſtinianus computaverit, quem ejus ævo invaluiſſe, ex ſcriptoribus vetuſtis commemorat Ampliſſ. DN. van Bynckershoeck, *lib. ſing. ad L. Lecta, cap.* 7. graviſſimarum profecto uſurarum ſpecimen illæ exhibent: ſiquidem ita ultra ſexdecim annua, in ſingula centena, centeſimæ excreſcant. vid. Harmenop. *Procheir. lib.* III. *tit.* 7. §. 19. *ibique Schol.* A qua acerbitate nec multum diſtat, quod deinde permiſſum à Juſtiniano fuerit, ut, qui agricolæ frumentum credidiſſet, octavam ſingulorum modiorum partem, ſicque plus, quam veterem centeſimam exigere poſſet. *Novell.* 32. *cap.* 1. *Nov.* 34. *cap.* 1. ut ne dicam, priſci juris licentiam in fœnore nautico conventionali fere in uſum revocaſſe Imperatorem, uti colligere licet ex *Novella* 106. niſi poſtea ipſe ſanciviſſet, eam conſtitutionem valere non debere. *Novell.* 110.

§. XXIV.

§. XXIV.

Quod ſi nunc, dimiſſo jure civili Romano, ad jus Canonicum reſpiciatur, &, quæ quantitas *uſurarum* comprehenſis illo ſanctionibus conſentanea fuerit, exploretur, equidem ex eis, quæ §. XVI. dicta modo ſunt, videri poſſet, fruſtra illuc indagationem dirigi, quum Pontifices, quam inviſum uſurarum ſibi ſit nomen, toties declaraverint. At, quoniam ibidem ſimul videre licet, quo pacto, ſi nomini uſurarum tantum parcitum fuiſſet, idem commodum, quod ex uſuris percipitur, creditori ſortis Canoniſtæ indulſerint, hincque in annuis reditibus, aut cenſibus, uti quoque in emtione ſub pacto de retrovendendo, tum eo, quod intereſt, ut ne plures addam conventiones, de quibus ſupra §. XVI. & §. XVIII. actum fuit, ſimulachrum uſurarum offenditur, quantum inde conceſſor aſſerere ſibi jure potuerit, inveſtigandum adhuc erit. Quare, ut de annuis reditibus, ſive cenſibus, Primo, agatur, ex bulla Martin. V. *cap.* I. *extrav. comm. de emt. vend.* patet, quemadmodum *ad rationem & pro qualibet marca annui cenſus*, X. XI. XII. XIIII. *marcæ, aut plus vel minus, ipſi contrahentes tunc inter ſe convenerint.* Cujusmodi conventiones quum Pontifex approbaverit, liquido intelligitur, ſeptem, octo, novem, vel decem nummos pro centum emi, indeque exigi potuiſſe. Et quamvis Gregorius XIII. cenſus ad ſeptunces revocaverit: vid. *ſupra* §. XVI. ideo tamen debitoris calamitati tanto minus fuit proſpectum, quoniam hanc, per ſe ſatis gravem, exactionem augeri ob circumſtantias poſſe DD. opinantur: ita ut reditus nunc infimo, nunc medio, nunc ſummo pretio comparari poſſe exſtiment. vid. Leſſ. *de Inſt. & jur. hab.* II. *cap.* 22. *dubit.* 14. Neque levius certe onus Secundo, debitori imponebatur, ſi pro ſorte accepta, ceu pretio, rem ſuam alteri tradidiſſet, quam, vel

ſimpliciter ſorte repræſentata, vel ſecundum adjectum de retrovendendo pactum, redimere ab illo poſſet: quandoquidem rem accipiens fructus, absque uſuræ vitio, reſtitutionisque incommodo, ita ſuos faciebat, ut nec in ſortem id, quod uſuras alias ſolitas ſuperat, imputare teneretur, veluti ex Canoniſtis adduxit Noodt, *de fœn. & uſur. lib.* 1. *cap. ult.* & exemplis firmavit Dn. Pottgieſſer, *de ind. & nat. pign. ſect.* III. *cap.* 1. 3. 4. *& ſeqq.* Imo inde eſt, quod nulla fere Tertio, pudoris remanſerint repagula, quæ non perfringere poſſet creditor, ſi vel propter ſortem, ſibi debito tempore haud reſtitutam, vel ideo, quod pacto ab initio comprehenſa promiſſio eſſe, Valer. *Differ. utr. for. vocab. uſura, differ.* 3. *num.* 5. vel ex alia quadam cauſa, ſua *intereſſe* allegaverit, ut plus, quam ſortem à debitore naniſceretur: quum eo nomine neque ad alterum tantum reſtricta petitio, vid. Dn. Böhmer, *Jur. Eccleſ. Proteſt. lib.* V. *tit.* 19. *§.* 24. *in f.* neque repudiata idcirco fuerit, quod uſurarum quantitatem legitimam excederet. Unde Alciatus, *Comment. ad L.* 121. *ff. de verb. ſignif.* juris Canonici taxans inconſtantiam, graviſſime ait: *Apud nos publice intereſſet, legem civilem obſervari, quæ certum modum fœnerantibus conſtituit, ut qui eum excederent, plecterentur: nam propter Canonum prohibitionem, non niſi peſſimus quisque & impudentiſſimus fœnerat, qui cambii vel ejus, quod intereſt, nomine, vel alio ficto titulo, indigentem deglubit, nec Epiſcopi & ſacerdotes id hominum genus ullo modo coercent, ſed juvant potius, ſuis quoque pecuniis daniſtæ in id lucrum clam creditis, quod & divus Cyprianus conqueritur.*

§. XXV.

Quare nihil improviſum profecto accidit, quum hanc juris Canonici, cujus, ob inſitum prohibitionibus ſuis ful-

fulmen, haud ſpernenda in medio ævo erat auctoritas, facilitatem, palliatæ ſortis conceſſioni accommodatam, omnes avide captarent, hincque ex bonis, vel pignoris antichretici, aut emtionis ſub pacto de retrovendendo titulo, pro ſorte acceptis, fructus, ſine ulla rationum redditione, ſive in ſortem imputatione, colligerent; Dn. Pottgieſſer, *all. tr. ſect.* 11. *cap.* 3. §. 2. *& ſeqq. Sect.* 111. *cap.* 2. §. 29. *& ſeqq.* vel in cenſus, ſive reditus ex bonis debitoris emptione, moribus ſuis indulgerent, & ſortem ſub gravioribus ejusmodi conditionibus elargirentur. Sane enim in Sicilia & Polonia reditus annuos, uſque ad decem pro centum, in Hiſpania autem uſque ad ſeptem peti conſueviſſe, obſervat Leſſ. *de Juſt. & jur. lib.* 11. *cap.* 22. *dubit.* 14. Et, quod ad Germaniam attinet, nimis multa documenta reliqua ſunt, quam ut ambigere liceat, reditus promiſſos uſque ad *dextantes*, imo usque ad *centeſimas* aliquando, annuatim excreviſſe, ſicuti ex illis intelligi poteſt, quæ laudabili induſtria congeſſit Dn. de Meiern. Von der Rechtmäſſigkeit des ſechſten Zinß-thalers. §. 25. *& ſeqq.* At meliorum temporum beneficio evenit, ut, qui ſummæ rerum in rebuspublicis præfuerunt, deliteſcens in ejusmodi contractibus vitium uſurarium tandem detegerent, atque ejusmodi modum penſitationibus inde debitis præfinirent, qui moderatæ æquitati magis reſponderit. Qua in re ſi ad Belgii mores reſpiciatur, generaliter quidem aſſerit Goris, *Adverſ. Jur. tr.* 111. *part.* 2. *cap.* 11. quod uſurarum ſemiſſium ratio haberi debeat; verum ſpecialiore diſtinctione utendum eſſe arbitratur Dn. Schraffert, *de cenſ. Domin. & convent. Tit.* 111. *cap.* 3. §. 16. 17. ſcil. utrum reditus in pecunia, an vero in frumento conſiſtat. Nam uti in iſta ſpecie legitimum uſurarum modum haud excedi debere tradit, ita hujus deinde juſtum eſſe pretium ſtatuit, quod ipſi rei frugiferæ reſpondeat; ſcil. ut quo pretio poſſit emi res, quæ centum profert, eodem, vel etiam minore, ematur reditus ejus-

dem utilitatis. Sin vero eo nomine explorata Germaniæ jura recentiora porro fuerint, haud minor in eis prominet moderatio. Quamvis enim nomen redituum effecerit, ut illorum debitum adinſtar ſortis perpetuo conſideretur, parique ratione uſuras pariat: vid. Dn. Ludolff. *Obſerv. for. lib.* 1. *obſ.* 24. notata tamen eorundem cum uſurarum præſtatione convenientia haud admiſit, ut ultra earum quantitatem jure amplius exigerentur. Unde, poſt quam in *Receſſ. Imp. de anno* 1548. *tit.* XVII. Von wucherlichen contracten. §. Und nach dem. cautum fuiſſet, ne cenſuum vel redituum nomine, qui & vocari ſolebant, Wiederkauffs gulden/ præter *quincunces* quid præſtaretur, utque ex adverſo eorum redemtio debitori ſalva eſſet, deinceps idem repetitum, vid. *Refom. Polit. de anno* 1577. *tit.* XVII. §. Und nachdem. 9. &, exactione creditori, in caſum moræ, ex pacto pariter permiſſa, *Receſſ. Deputt. de anno* 1600. Fenersiſt bis anhero. 35. tandem ſanctione perpetua quantitas redituum legitima ad quincunces præciſe reſtricta fuit. Vid. *Receſſ: Imp. de anno* 1654. §. Anreichend die Künfftigen Zinß. 174.

§. XXVI.

Quod ſi vero, in hujusmodi penſitationibus ad juſtam quantitatem reducendis, germana Præſidum Juſtitiæ eminuit æquitas, haud obſcuriora certe illius dederunt iidem documenta, ex quo, agnita uſurarum juſtitia, vid. *ſupra* §. XVII. XVIII. porro providerunt, ut intra juſtum illæ, & æquabili proportioni uſus præſumti, & acceſſionis inde petitæ convenientem, conſiſterent modum. Inde enim factum fuit, ut ſi I. de uſuris, quarum petitio mora debitoris nitebatur, quæque ad officiam judicis pertinebant, quæſtio emerſerit, Belgii jure primum *ſeptunces* uſuræ, loco & nomine ejus, quod intereſt, creditori adſcriberentur: vid. Sande *Deciſ. Friſ. lib.*

lib. III. *tit.* 14. *def.* 3. Van Leeuwen, *Cenſ. for. lib.* IV. *cap.* 4. *num.* 9. imo ſubſequentibus temporibus non tantum invaleſceret, ut in ejusmodi uſuris imponendis quantitas unius pro ſedecim ſervaretur; vid. Chriſtin. *Deciſ. for. Belg. vol.* 1. *deciſ.* 293. verum porro, uſu ſuadente promiſcuo, in jus fere commune abiret, ultra quincunces onerandum debitorem haud eſſe. vid. Huber. *Prælect. ad ff. tit. de uſur.* §. 21. Groenewegen, *de LL. abrogg. ad L.* 26. §. 1. *C. de uſur.* Quam legum indulgentiam ampliando, ulterius progreditur, & æquum ſibi videri teſtatur Voet. *Comm. ad ff. Tit. de uſur.* §. 11. ut, quia nunc trientes more regionis maxime frequentantur, earum tantum penſitatio debitori ob moram commiſſam præſtituatur. Ubi tamen prætermittendum haud eſt, quibusdam in locis convenientius viſum fuiſſe, ut, quum tutores, curatores piorum locorum, & adminiſtratores pecuniæ publicæ, ob interverſionem rerum ſuo officio concreditarum, conventi fuerint, hi in *ſemiſſes* propterea condemnarentur, uti & illi, quibus uſurarum penſitatio ob moram judicialem imponenda eſſet. vid. *Corp. Jur. Groning. part.* II. Ordonantie op conventien/ tit. van Renten en Intereſſen/ Atque ita pariter, licet diſſimili quodammodo modo, in Imperio Rom. Germ. Legiſlatores certum expreſſerunt, quod creditori, ob privationem uſus, mora debitoris contingentem, accederet. Poſtquam enim annuorum reditnum ſummam ad quincunces, jura ab anno 1500. lata redegiſſent, vid. §. *præc.* XXV. paritas rationis, quæ in eo, quod intereſt, cernitur, occaſionem initio judicantibus ſubminiſtravit, ut moram debitoris ad probationem ejus, quod intereſt, ſufficere arbitrarentnr, indeque eandem, quæ annuis reditibus præſtituta fuerat, quantitatem creditori adjudicarent: quemadmodum ex ſententiis Cameralibus latius perſpicitur, quas exhibet Dn. de Meiern, Von der Rechtmäſſigkeit des ſechſten Zinß-thalers. §. 31. Cujus inter-

pretationis æquitas tanti poſtmodum fuit æſtimata, ut in *Receſſu Deputt. de anno* 1600. §. So viel num. 139. ſanciretur, uſuras *quincunces* ex *mora* creditoribus ſimpliciter deberi: inſerta illa ratione, Daß der Creditor ſein geld von ſolcher zeit an anlegen / und zugelaſſener weiſe zum wenigſten vom hundert fünff / wohl haben mögen. Unde procul dubio eſt, quod hujus juris, tanquam maxime æquabilis, approbatio rurſus iterata fuerit, in *Receſſ. Imp. de anno* 1654. §. Anreichend die Kunfftigen Zinß. 174.

§. XXVII.

Neque minor ſane eſt, quæ in *uſurarum conventionalium* determinatione deprehenditur, jurium recentiorum providentia: quamvis fieri haud potuerit, ut in eandem omnes indiſtincte populi ideo propenderent quantitatem. Quod ſi enim ad Belgii jura recurratur, receptum in Hollandia olim fuit, ut ſi ei debito uſurarum promiſſio acceſſiſſet, quod pignore vel alia cautione haud munitum fuerat, *ſeptunces*, imo *beſſes* ſtipulari liceret; verum ſecuritate creditori præſtita uſuræ, ultra *decimam ſextam* partem ſortis, aſcendere non poſſent. Grot. *Introd. in Jurispr. Holl. lib.* III. *ſect.* 10. ibique Groenewegen *in annot. n.* 29. Coren *obſerv.* 4. Groenewegen, *de LL. abrogg. ad L.* 26. §. *C. de uſur.* Neque multum diſſimili modo, de Friſiæ jure teſtatur Huber. *Prælect. ad ff. tit. de uſur.* §. 21. quod *ſeptunces* uſuræ conſtitutæ creditoribus ſimpliciter fuerint: utut fateatur, ſine fugillatione pudoris, neminem quincunces, aut ſane ſemiſſes, poſſe egredi. At, uti a tempore generalis reductionis uſurarum, quas Reſpublica debet, quincunces tantum adjudicatas creditoribus fuiſſe, commemorat Groenewegen, *Ann. ad Grot. d. l.* ita nec majores uſuras concedi illis debere, arbitratur van Leuwen, *Cenſ. for. lib.* IV. *cap.* 4. *num.* 9. Cui ſententiæ conveniens

niens eſt, quod jure Groningano in uſuris ex conventione annuatim præſtandis fuit conſtitutum: quamvis permiſſum eodem ſimul fuerit, ut, qui uſuras menſtruas recipiunt, ſemiſſes uſuras haberent. *Corp. Jur. Groning. d. l.* §. 1. Quæ tamen reſtrictiones haud impediunt, quo minus ultra quantitatem uſurarum ſolitam, majores uſuras conventione complecti liceat, quum vel illæ menſæ fœnebri publicæ, vulgo *Lombard*, ſecundum modum lege præſcriptum, præſtentur, vel ob fœnus nauticum, pecuniam trajectitiam, mercium transferendarum aſſecurationem &c. ſint conſtitutæ. van Leuwen. *d. l. num.* 10. 11. Quem extenſionis favorem quoque pro mercatoribus militare, ideo plerisque placet, quoniam lucri ex ſorte, ſi eam non elocaſſent, redigendi probabiliorem, quam alii, ſpem allegare poſſunt. vid. Grot. *alleg. Sect.* 10. *inf.* Groenewegen. *ad L.* 26. §. 1. *C. de uſur.* Voet. *Comment. ad ff. tit. de uſur.* §. 3. A quibus Belgii delibatis juribus quum jam tranſeundum ſit, ad leges in Imperio Rom. Germ. uſitatas, nemo in diſceptationem vocabit, haud alias uſuras in Legibus Imperii eſſe conſtitutas, quam *quincunces:* utpote quæ primum Judæis, vid. *Reform. Polit. de anno* 1577. *tit.* 20. §. 17. damit aber 6. deinde, ſecundum conſultationem Deputatorum, anno 1586. propoſitam, vid. Frantzk. *Reſoll. lib.* 1. *Reſol.* 1. *num.* 110. quibusvis creditoribus fuerunt conceſſæ. vid. Receſſ. Deputt. de anno 1600. §. So viel num. 139. *Receſſ. Imp. de anno* 1654. §. 174. Stryck. *Uſ. Mod. ff. tit. de uſur.* §. 10. Enimvero quum hic quæſtio emergat, annon etiam, ſalva ea, quæ legibus Imperii debetur, reverentia, uſuras ampliores in conventionem deducere liceat, praxi quidem conſentiens eſt communis interpretum ſententia, in fœnore nautico, aſſecuratione, & conventionibus affinibus, id neutiquam eſſe illicitum: veluti ex commentariis eorum, titulo Digeſtorum, *de fœnore nautico*, ſubjectis patet. At de eo acrius DD. inter ſe controvertunt, an

idem

idem in uſuris *ſemiſſibus* vulgaribus ſit ſtatuendum. Etenim, quum moribus Bohemiæ, Saxoniæ extra Electoratum, Marchiæ Brandenburgicæ, Ducatus Megapolitani, Ducatus Bremenſis, aliarumque adiacentium provinciarum, illas receptas eſſe ac adjudicari, ex adductis Scriptorum teſtimoniis probent Stryck. *d. l.* §. XI. Wehner. *theſ. Pract.* vocab. Zinß. alii ex adverſo contendunt, extenſionem illam eo uſque minime valere debere, ut ſimilis a ſupremis Imperii Judiciis expectetur ſententia: quoniam omne id, quod quincunces excedit, ſecundum leges & praxin Imperii, vel in ſortem imputari, vel condictione indebiti repeti, opinantur. vid. Deckher. *Rer. in Camer. judic. Præf.* Quibus tamen ſe noviſſime ſplendido adeo apparatu oppoſuit Dn. de Meieren, Von der Rechtmäſſigkeit des ſechſten Zinß-thalers., §. 44. & *ſeqq.* ut non arbitrari non poſſim, jure meritoque defenſam ab illo fuiſſe uſurarum *ſemiſſium* licentiam: tanto magis, quandoquidem non tantum Dn. de Ludolff. *Obſervatt. forenſ. lib.* I. *ſuppl.* I. *pag.* 398. definire hæſitavit, quid de repetitione ac imputatione ſexti nummi judicari debeat; ſed præterea Conſilium Imperiale Aulicum variis Concluſis probatum modo dedit, ejusmodi de uſuris ſemiſſibus initas conventiones minime illis eſſe accenſendam, quæ, uti pravitatem uſurariam ſapientes, reprobari ſimpliciter debeant. vid. Dn. de Meiern. *d. l. et in Reſponſ. ad refut. paſſim.*

§. XXVIII.

Atque hæc quidem, *de modo uſurarum legitimo*, ut meditarer, temporis penuria permiſit. Quamvis enim plura ſuperſint, quorum explanatione id, quod in uſuris uſurarum, & exactione ejus, quod alterum tantum ſuperat, juſtum eſt, illuſtrari poſſit, inde tamen calamum retrahi debere ſentio. Hincque id unice ſupereſt, ut benevoli Lectoris favori me meaque ſtudia commendem.

TANTUM.

CO-

COROLLARIA.

I.

EXhæredatio ob alias, quam quæ Nov. 115. *cap.* 3. *expressæ sunt, causas, facta non valet.*

II.

Filius familias de peculio adventitio irregulari testari nequit.

III.

Maritus est verus Dominus dotis.

IV.

Periculum rei venditæ ante traditionem est emtoris.

V.

Usufructuarius cedendo usumfructum amittit.

VI.

Tutor ob culpam latam remotus sit infamis.

VII.

Transactio ob læsionem non rescinditur.

VIII.

Emtor servare contractum locationis a venditore initum non tenetur.

FINIS.

EX OFFICINA LAVRENTIANA

GALATEA

A. M.

ANDREAS LOCATELLUS SUEVUS

IN ADRIATICO LITTORE

DE VARIOLARUM

ET

MORBILLORUM

NATURA

ET

CURATIONE

DISSERTATIO

PHILOLOGICA

FLORENTIAE

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Hase, Cornelius von

Diss. iur. inaug. de modo usurarum legitimo

Groninga 1739

4 Diss. 559#Beibd.17
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10657411-9
VD18 15177769-001